OPERE
LATINE E ITALIANE
DELL' ABATE
GIULIO CESARE CORDARA
DEI CONTI DI CALAMANDRANA.

TOMO I.

DE VITA ET SCRIPTIS
JULII CÆSARIS CORDARÆ
E SOCIETATE JESU
QUAMDIU EA STETIT
COMMENTARIUS
CAROLI ODOARDI STUARDII
WALLIÆ PRINCIPIS
EXPEDITIO IN SCOTIAM
LIBRIS QUATUOR
COMPREHENSA.

VENETIIS
1804.
Apud Justinum Pasquali Marii filium.
Cum Approbatione et Privilegio.

CLARISSIMO VIRO

BENEDICTO VULPIO

REGIO LIBRORUM CENSORI

SODALI

ET COLLEGÆ SUO AMICISSIMO

ALOYSIUS MARIA BUCHETTI

S. P. D.

Cum Julii Cæsaris Cordaræ *e Societate Jesu Contubernalis olim tui, & amicissimi opera, multis id flagitantibus, in lucem edere statuisses, visum est tibi,* Vulpi *carissime, ut quod de ejus vita memoria est proditum, litterisque etiam amicorum circumfertur, brevi aliquo commentario complecterer, quod illius scriptis non parum hinc lucis affundi posse cogitares. Etsi enim plerumque accidit, ut qui multa scribunt, sese oculis legentium prodant, quin ipsi sen-*

tiant, imaginemque referant & animi & mentis verissimam, persæpe tamen nonnulla occurrunt quæ historiæ adjumento egeant, sine quo multa aut vix intelligi, aut degustari minime possunt, immutatione præsertim facta & rerum & temporum tam repentina & gravi. Cui quidem consilio exequendo quantum ipsemet satisfecerim, aliorum erit, & tui potissimum judicare. Quodcumque igitur brevi illo otio, quod ex librorum erat censura vacuum, hortatu tuo fecimus, ea qua soles humanitate accipias velim, cum laudi meæ potius quam amicitiæ deesse patiar lubentissime. Vale.

Datum Venetiis XV Kal. Nov. MDCCCIII.

DE VITA ET SCRIPTIS
JULII CÆSARIS CORDARÆ
E SOCIETATE JESU
Quamdiu ea stetit

COMMENTARIUS.

1. Julius Cæsar Cordara Antonii Calamandranæ Comitis Filius, de cujus vita scribere aggredimur, ortum habuit Alexandriæ Statelliorum XVI Kalendas Januarias anni MDCCIV. Etsi enim Cordaria Gens ex Hannonia oriunda Niciæ multis ab hinc annis confederat, quæ urbs est nobilissima in Montis Ferrati provincia sita, tamen quod bellum Borbonios inter, Austriacosque per id tempus exarserat, suamque domum crebris Gallorum excursionibus, qui illam partem invaserant, patere intelligeret, Alexandriam Statelliorum concesserat, urbem ea tempestate in Hispaniæ Regis ditione positam, quo domicilio uteretur pa-

catiore. Fratres habuit duos, quorum alter natu major amplissimis magistratibus perfunctus præclaram integritatis ingeniique laudem est consecutus, alter Julio minor sub Victorio Amædeo, & Carolo Emmanuele Sardiniæ Regibus stipendio meruit, perque gradus militiæ Magister Equitum est renunciatus; quo in munere cum apud omnes bellicarum rerum experientia, virtuteque valeret, Juvenis adhuc Vercellis supremam diem obiit rara adeo opinione innocentiæ, ut qui Regiæ Equitum Cohorti a Sacris erat, illius vitam pie sancteque peractam conscripserit, & militari Juventuti veluti exemplar ad imitandum proponere non dubitaverit.

2. Primam Julii ætatem Eleonora Mater ex illustri Cressiniorum gente per se ipsa imbuit studio plane singulari: Sed illa e vivis sublata magnam familiæ intulit calamitatem. Gravissimo hoc casu perculsus Antonius tantam cœpit animo ægritudinem, ut iis in locis diutius immorari non posset. Itaque Romam contendit, fratrisque hospitio est usus, quem sui amantissimum cognoverat, ut illius consuetudine luctum, mœro-

remque imminueret, consiliaque sua communicaret de filiorum institutione capessenda. Interea Julium septimum vix annum ingressum Calamandranæ Parroco commendandum putavit, quem maxime probum & diligentem sciebat, ut in illius disciplina prima jaceret fundamenta & litterarum & morum.

3. Calamandrana regio est non ignobilis quæ XII circiter millium passuum ambitu continetur, eamque homines incolunt supra bis mille. Solum habet feracissimum, sed vitibus apprime opportunum. Alluitur a Belbo flumine, vallemque interfluit satis longam Niciano agro conterminam, quæ nomen ab illo ducit, collesque hinc atque hinc obtinet & loci amœnitate, & exquisito cultu celebratissimos. Superiorem hujus partem occupat Calamandrana pagus, cui turris imminet pervetusta, unde est facilis subjectam in vallem despectus. Victorium Amædeum Sardiniæ Regem ferunt initio anni MDCCIV cum illa ex arce Gallici exercitus magnitudinem, situmque explorasset ita loci pulchritudine delectatum, ut sæpius prospectum illum multis cum laudibus com-

memoraret. In hos pagos jurisdictionem principio Cordarii ab Gonzagiis Mantuæ ducibus obtinuerant titulo Comitatus, eratque familiæ patrimonium honestissimum. Ibi Julius tres continenter annos consumpsit. Quæ res non mediocrem attulit adolescenti utilitatem. Nam cum propter salubritatem aeris liberiore Cælo uteretur, ita opportuna corporis exercitatione, frugalitate, ac temperantia, mollitie procul & luxu, vires adauxit suas, ut firmiorem corporis habitum exinde sit nactus, uti ille sæpius, verissimeque profitebatur. Hinc illi tantus in hanc sedem amor exarsit, ut de ea posthac non sine dulci aliqua voluptate recordari posset aut loqui, ejusque laudes versibus extulerit suavissimis.

4. Triennio exacto Romam in Patrui curam concessit, ut optimis bonarum artium studiis imbueretur, primisque viris, atque adeo Pontifici ipsi innotesceret, a quo in Clericali statu, cujus jamtum vestem induerat, iter sibi aliquod, processu temporis, honoribus ineundis pateret, vitamque institueret neque inertem neque indecoram. Eo igitur consilio Collegii Roma-

ni Scholis quotidie interfuit. Reliquum ibi Grammaticæ cursum confecit, Rhetoricamque absolvit incredibili alacritate. Atque ut primam condendorum versuum artem edidicit, ita adamavit, ut nemo illi facilitate aut nitore antecelleret. Enim vero latentem ingenii vim a natura insitam erumpere in dies quadammodo, augerique sentiebat doctorum institutionibus, quibus se carum diligentia sua præbuit & morigerum. Cumque illa ætas prona sit ad benevolentiam, cereaque flecti in vitium aut in virtutem earum rerum imitatione studeat, quæ suspici ab aliis, celebrarique videt, quod laudis appetens hanc sibi præ cæteris gestiat adipiscendam, mirum est quo ille ardore in studia litterarum abriperetur, suosque præceptores impense coleret, quos singulari reverentia & amore prosequebatur. Hinc illi ingens desiderium venit in eorum Collegium cooptari, vitamque suam in Societate Jesu traducere, religione interposita, quod illam sibi viam ineundam & voluntate sua, & cælesti quodam consilio arbitraretur. Atque ut primum per ætatem licuit, Patri id suo communicavit.

5. Quod ille propositum cum minus probaret, rogare cœpit ne se miserrimum discessu hoc suo faceret, neu spem omnem in eo sitam domus amplificandæ per summam socordiam sineret everti: Non esse cur adeo fortunam, honores, delitias metueret caducas licet & fluxas, si modo majorum suorum exemplo iis temperate, sapienterque uteretur in publicam utilitatem; neque ullam causam videri cur sese ex honestissimo urbis theatro proriperet; in quo suas partes æque posset religiose agere ac secure. Hac ille oratione nihil commotus ita apud Parentem & litteris egit & lacrymis, ut reluctantem vicerit, & facultatem consilii exequendi impetraverit. Itaque XIII Kalendas Januarias anni MDCCXVIII Societatem ingressus, Romæ, ut ipse optaverat, tyrocinium inchoavit, quod quidem experimentum biennio apud eos ex lege prorogabatur, ut animi Novitiorum quacumque re vacui ad pietatem obedientiamque unice figerentur.

6. Novum hoc vitæ genus summopere arduum, incomodum adolescentibus plerumque solet accidere, quippe natura irrequie-

ti severam & gravem institutionem detrectant. Julius ut erat ingenio fervidus, mirum est quantum laboris constantiæque consumpserit, quo suos motus componeret in ejusmodi disciplina. Ex hac propemodum lucta, diuturnaque animi contentione ita corporis valetudine cæpit debilitari, ut capitis dolore sæpissime conflictaretur. Quæ cum Pater subodorari ex amicorum litteris potuisset, illico ad urbem convolavit; eo facilius, quod crebras hujus generis peregrinationes suscipere post mortem uxoris per Italiam consueverat. Ibi cum aliquot dies vacare cælestium rerum meditationibus statuisset, in Quirinali apud Jesuitas secessit, ut ea in domo filii statum inspicere per se ipse posset, & colloqui confidentissime, & si quid esset ulterius agendum, deliberaret. Ut primum vultus pallorem, maciemque conspexit, hæsit continuo, indoluitque vehementissime florentem ætatis speciem tam subito immutatam; flagitare deinde ut ab incæpto proposito absisteret, quod brevi in suam perniciem sine aliqua utilitate videbat casurum, neque vitam, cujus usuram Dei Optimi Maximi beneficio

acceperat, ita obstinate proijciendam putaret falsa quadam opinione virtutis; Quamobrem paternam domum repeteret, curamque ageret valetudinis instaurandæ. Hujusmodi sollicitationibus Francisci Fratris, quem sui amantissimum sciebat, studia accessere, qui se etiam primogenituræ beneficio & juribus renunciaturum ex lege dixit, si modo nuptiis animum adjicere aliquando, familiæque consulere voluisset.

7. Sed nihil horum potuit aut mentem labefactare, aut voluntatem imminuere adolescentis; qui constitutam ab Societate vivendi rationem amavit semper, & tenuit constantissime. Tyrocinio exacto, humaniorum litterarum studiis recreari se plurimum sensit, & quodammodo convalescere. Increbuerat ea tempestate, nescio quo fato, in Italia corruptum quoddam scribendi genus a veteri illo nitore, elegantiaque abhorrens, quod fucata specie ingenii novitati magis favebat quam veritati; utque est hominum plerumque suorum temporum genio & moribus indulgere plus nimio quam aut judicium patiatur, aut ratio; ita fiebat ut quamquam nonnulli stylum illum infla-

tum vituperarent, sequerentur tamen, ne, posthabitis popularium opinionibus, invidiam sibi sumerent arrogantiæ. Hujusmodi vitio primæ Julii locubrationes nonnihil inficiebantur, quod ille citissime, tum accurata veterum Auctorum lectione, tum judicio suo probatissimo emendavit. Poesim præcipue coluit, ad quam se plurimum genio suo allici abstrahique sentiebat, tantumque profecit, ut versuum facilitate, lepore, & gratia concederet nemini. Præclara hac Juvenis opinione factum est ut qui Romanæ provinciæ præerat, illum Philosophia absoluta, Rhetoricæ arti edocendæ Viterbii designaverit. Quod cum præter consuetudinem esset, nec nisi aliquot post annos Societatis adolescentes ad id munus deligerentur, magnum profecto honoris testimonium haberi debet.

8. Hac in urbe triennio commoratus tantam ibi existimationem ingenio suo excitavit, ut recitata ab ipso carmina, orationes, conciones habitas, deambulationes ipsas quas in Pitii montis recessu amænissimo quotidie per æstatem, stipante Juvenum corona, agere cadente sole consueverat, Ci-

vium bene multi non sine dulci aliqua voluptate sæpissime commemorarent. Accidit per eos dies ut Benedictus XIII. Pont. Max. magno Cardinalium, Prælatorumque comitatu Viterbium commearet, ut ibi Clementem Augustum Bavariæ Principem S. Rom. Imperii electorem renunciatum in Coloniensem Archiepiscopum solemni ritu consecraret. Magna ibi fuit horum adventu gratulatio & plausus. Julius eam occasionem arripuit, appositoque carmine amplissimi Principis laudes est prosecutus, quod sibi, Societatique suæ crederet maxime indecorum, si in tanta Urbis lætitia penitus conticesceret. Id cum Michaeli Tamburinio totius Societatis Præposito esset perlatum, ut selectorum hominum censuræ subesset ex more, priusquam efferretur in vulgus, probatum est adeo, ut typis illud vulgare non modo concesserit, sed etiam excitaverit; abstinuit tamen modestia singulari.

9. Viterbio discedens eamdem artem in Firmana Universitate publice docuit. Nec mihi videtur prætermittendum, quod Caroli Collicolæ Cardinalis adventu accidit, qui, ut sororem habebat Azzolinio Marchioni

nuptam, iter illuc unice instituerat ejus visendi causa. Illico Julius poemata quædam in ejus viri laudem composita selectis quibusdam discipulis intra paucos dies distribuit, ut ornatissimo in loco publice e suggestu recitarentur. Post hæc Cardinalem rogatum venit uti ille adesse, diemque sibi feriatum vellet indicere. Litterarias hujus generis exercitationes decet Principum præsentia honestari maxime, & vero juvenum ingenio, diligentiæque promovendæ conducere. Recusare ille primo, quod sese in publicum daret invitus, neque per valetudinem eodem in loco adsidere diutius posset. Et sane cum pridie ejus diei poeticæ urbis gratulationi interfuisset, ultraque horam vidisset excurrere; excusatione hac usus repente evaserat e concione; tamen, ut erat Societatis amantissimus, postridie adfuturum se dixit, ea lege, ut quam fieri posset brevissime res tota concluderetur. Qua promissione accepta, dum Julius loci apparatu, ordinandisque subselliis distinebatur: ecce tibi repente qui Cardinalis nomine significabat, nihil illi fore jucundius, quam si puellulæ suæ neptis, quam suavis-

sime diligebat, mentio aliqua versibus intercidisset. Hæsit Julius aliquantulum, seque respondit gravatissime ferre quod hoc sibi tardius innotuisset; prohiberi sese angustia temporis quominus morem gereret, cum Auditores propemodum adventarent, quibus excipiendis, collocandisque sua opus erat præsentia. Interea multa animo voluntanti, si qua via esset qua se expediret, stans pede in uno calamum arripit, versusque absolvit actutum, queis Patrui Neptisque laudes complectitur elegantissime. Chartam discipulo tradit, monetque, cum primum innuerit, distincte ut recitet & sonore.

10. Mox dum Cardinali subeunti assurgitur, inchoatum est fidibus canere ab Musicis. Quod ille ægre accipiens, quippe qui parum patiens natura esset, & maxime fastidiosus: Egone, inquit, horam fidibus audiendis teram? Hac voce admonitus Cordara cantum silere penitus, versusque quos fecerat in Neptem Principis recitari ex abrupto imperat condicto nutu. Tum vero mirari ille quod pœne ex tempore epigramma illud limatum adeo & venustum

con-

confectum esset; suspicari etiam, Julium illius mentem divinari potuisse antea, petitionemque factam eo consilio fuisse rejectam, ut præter spem admirationem eliceret novitatis. Utcumque esset arrectis auribus, vultuque in morem probantis composito avidissime hausit id totum, plausumque iterato dedit; neque modo patienter, sed lubentissime animum advertit ad cætera. Concione vix dum dimissa, nihil illi fuit antiquius quam ut Cordaram cognosceret, quem postquam laudasset, uti par erat, rogare cæpit versiculos ut sibi daret, quos in suæ Neptis laudem protulerat, quæstionemque instituit diligentissimam, num extemporaneos, aut meditatos fecisset. Re plane comperta, atque omni dubitatione sublata mirum est quantum ille Poetam suspexerit, amaveritque. Hoc ego Epigramma subijciendum censeo, ut qui legunt judicium per se ipsi faciant.

Dum circum alludit blando Christina lepore
Carole, quaque potest voce salutat Avum,
Credo equidem scalpat tibi cor sincera voluptas,
Perque imum serpant gaudia pura sinum.
Nam places integritas, & formæ candor in illa,
Et pudor, & quidquid denique Matris habet.

Crescat io! atque illi triplex sine fine puella
Aurea Phrixseæ vellera ducat ovis,
Nomine quamque refert Suecam de Principe reddat,
Par animo, haud multum nobilitate minor.
Auguror: Imperium tibi debet Maxima Roma,
Magnaque virtutis semina Neptis habet.

11. Anconæ cum esset Julius, nihil illi accidit memorabile, quod illi cives commercio dediti pulcherrimarum artium studia negligant plerumque. Nonnulli tamen, qui colerent Societatis Jesu Collegium, frequentabant. In his Prosperus Lambertinius Bononiensis ejus Urbis Episcopus, qui postea Pontifex Maximus Creatus Benedicti XIV. nomen obtinuit, bis in die solebat accedere, quod illorum hominum consuetudine, & maxime adolescentium mirifice delectabatur. Hic Julium deambulationum suarum, quas Medicorum consilio inibat, comitem non raro adhibuit, ejusque ingenium moresque admiratus carum habuit adeo, ut Romam subiens ad electionem Pontificis, illum Provinciali Societatis Præposito enixe commendaverit, cum sibi videretur Natura, elegantiaque ceteris Scriptoribus antecellere. Aderat etiam sæpissime Marcolinius Eques Hyerosolymitanus, provecta

ætate vir, studiorumque amantissimus, qui ut venam habuerat scribundis carminibus satis facilem, sermones quosdam stylo Horatiano ab se olim compositos identidem recitabat sub vesperam. Cujus rei tandem pertæsus Julius, cum semper esse auditor tantum pigeret, statuit experiri, num sibi etiam hoc in genere flueret quod reponeret. Collegit itaque sese, & subsecivis illis horis quas poterat habere vacuas sermonem edidit in rerum alienarum inspectores, quos vulgo vocant *Ficcanasi*. Hunc cum Marcolinio legisset Cordara, non modo illum vehementer extulit effusis laudibus, sed illi Auctor persæpe fuit, ut ad hanc quoque laudem mentem adijceret, in qua neminem certe judicio suo haberet superiorem, fortasse vix parem. Hæc eadem Bartholomæum Boschovichium contubernalem tunc suum videbat sentire, cui primum copiam legendi id fecerat, cujusqne opinioni plurimum deferebat.

12. Horum consilio, auctoritatique fidens alterum sermonem edidit sequenti anno *in Fatuos Numerorum divinatores*, cum efferatam hujusmodi libidinem serpere in dies la-

tius, augerique videret in urbe Roma, ubi ille sacrarum litterarum studiis quatuor continenter annos incubuit. Ut ille sese & Amicorum hortatu, & conscientia sua sensit ad satyras scribendas factum, cum primum licuit, eam sibi provinciam exornandam suscepit. Dum igitur esset in Maceratensi Collegio, ibique Philosophiam publice profiteretur, in Othonis Manchenii librum incidit *de Charlataneria Eruditorum*. Non ita paucos horum de grege ab se repertos meminerat, quorum supercilium futilemque doctrinam stomacari cæperat vehementius quod studiorum rationem sapienter omnino a Societate institutam, diuturnaque rerum experientia comprobatam (*a*) crimi-

(*a*) Quid de hac Studiorum ratione eruditissimi viri senserint, supervacaneum est dicere. Unum pro multis judicium proferam *Fr. Baconi a Verulamio* Angliæ Cancellarii cujus vel ipsum nomen amplissimum laudationem complectitur. Hic suo in opere *de Augmentis Scientiarum* ita loquitur lib. I. editione Amstelædami, Joh. Ravestei nii sumptibus An. MDCLXII.

„ Quæ nobilissima pars priscæ disciplinæ revocata est „ aliquatenus quasi postliminio in Jesuitarum Collegiis; „ quorum cum intueor industriam, solertiamque tam in „ doctrina excolenda, quam in moribus informandis illud

„ oc-

nari passim in urbe, jocarique solerent fatue, quod genus est quoddam ratiocinandi indoctis hujusmodi sciolis usitatissimum. Ajebant enim nimiam elementis addiscendis operám in Scholis tribui, ætatemque præceptis & putidis observationibus teri, quæ rebus posset melioribus informari. Atque ex veteri hac disciplina nescio quid proficisci contractum & timidum quod venam ingenii exsiccaret, nec illud sineret ad grande aliquid audendum excurrere, propterea quod peccatum crederent si ab antiqua via nonnihil deflecterent, quam macris illis, minutisque institutionibus institissent. Inanem hanc Sapientiam ut commendarent & vulgo facile imponerent, stylum quemdam inve-

„ occurrit Agesilai de Pharnabazo: *Talis cum sis utinam noster esses!* "

Et paulo infra eodem libro.

„ Nuper etiam intueri licet Jesuitas (qui partim studio proprio, partim ex æmulatione adversariorum litteris strenue incubuerunt) quantum subsidii, viriumque Romanæ Sedi reparandæ & stabiliendæ attulerint. "

et libro VI apertius & luculentius.

„ Ad Pædagogicam quod attinet brevissimum foret dictu: *Consule Scholas Jesuitarum:* nihil enim quod in usum venit his melius."

xerant musivo opere concinnatum; vocesque usurpabant, non jam ex latinis, verum ex græcis fontibus plerumque haustas, eaeque laudatissimæ habebantur quæ obscuriores essent & novæ, locutionibus ex aliis scientiis, atque ex geometria præsertim petitis. Ridicula hac scilicet eruditione veluti pallio se involvebant quo mediocritate se tegerent sua, plaususque captarent multitudinis imperitæ, cujus est ea potissimum admirari quæ nesciat. Atque horum audacia, vel certe insania amplam illi materiam ad scribendum proposuit. Verum quam maxime cavit ne dum in vitium animadverteret, alicujus personam lacesseret, quod primum illud ingenui esse hominis, alterum arrogantis videbat. Itaque fictis nominibus satyram exercuit neque illiberalem, neque invenustam, stylo ex Juvenale & Flacco utrinque deprompto.

13. In hujusmodi argumentum sermones omnino IV cum absolvisset, Hyeronimo Lagomarsinio, quem sub C. Salmorii nomine designaverat Florentiam mittendos curavit, utpote sui amicissimo & latinæ linguæ facile principi, ut si quid minus excultum pro-

peranti calamo excidisset, judicio id suo emendaret. Autumno interea exeunte Calamandranam relinquens, ubi ille tres circiter menses consederat, cum Maceratam studiis instaurandis rediisset, sermones suos reperit typis Lucensibus cusos, quorum exemplaria quædam sibi ab Lagomarsinio missa suis ex litteris intellexit. Indoluit vehementer Julius hujusmodi Satyras quas per otium fecisset, se plane insciente, publicam in lucem vulgatas. Indoluit etiam tam multas adnotationes fuisse adjectas, quarum copia & magnitudine obrui suos versus videbat, iisque locis suppositas, ex quibus nonnulla invidiose innui prudens quisque poterat suspicari; eoque magis cum pleraque nomina generice ab se conficta, ex industria essent immutata, quo propiore litterarum conlocatione vera illa nomina innotescerent queis unice designandis, referendisve pepercerat diligenter. Quin et operis titulum improbavit, videlicet: *L. Sectani Q. F. de tota Græculorum hujus ætatis litteratura ad C. Salmorium Sermones IV.* Timebat enim ne petulantiæ tribueretur quod sese filium Quinti illius Sectani faceret, hominis æde-

pol! celebratissimi, ejusque prærogativæ, quam toto orbe obtinuerat, invidere quodamodo, aut disputare videretur. Hæc ille quamquam moleste ferret, tamen cum neque factum destruere, neque hominum opinionibus mederi posset, sustinuit patienter, reique exitum tacitus expectavit.

14. Vix dum Sermones vulgari cœperant, mirum est quantum rumoris in Etruria potissimum excitaverint, quod ibi aliqui fictis illis nominibus indigitari se crederent evidentissime. Libellus igitur continuo prodiit sub Cesellii nomine italicis carminibus exaratus, in quo illiberalibus atrocibusque conviciis Jesuitæ duo impetebantur Hyeronimus Lagomarsinius, & Pompejus Venturius, qui tunc Florentiæ Rhetoricam artem edocebant, quorum alter versuum, alter adnotationum Auctor esse putabatur; atque ut vulgo accidit intemperanti partium studio, ex privatorum injuriis multa in Societatem universam contumeliose procaciterque jactabantur. Harum rerum certior factus Cordara, quo exæstuantem procellæ impetum compesceret, illum monebat Lagomarsinius videri sibi nihil fore opportunius, quam ut

illatam ab adversariis calumniam sermone altero, gravi illo quidem & vehementi retunderet; quod ille statim diem intra septimum est executus, cum potiorem hujusmodi laudem in celeritate positam intelligeret. At enim cum diu multumque expectasset, nullam fieri editionem videbat. Et quamquam litteris apud amicum sæpissime instaret, ut moras abrumperet tam perniciosas, respondebat identidem iisdem fere verbis: Bono esset animo, rem ita geri oportere, diligentiæ suæ fideret ac prudentiæ.

15. Sed cunctationis ratio omnino erat ex litteris repetenda. Cum enim Cesellius impudenter dixisset, Homines Societatis Jesu colendos maxime iis solum videri qui parvi ingenii essent, nullamque doctorum hominum consuetudinem cum ipsis intercedere, qua efferre se possent, aut gloriari, ad hanc contumeliam repellendam censuerat Lagomarsinius eorum catalogum texere, qui apud Catholicos Europæ Principes a confessionibus excipiendis essent tunc temporis designati, quorum nomina accurate conscripta ut ad se mitterentur curaverat

datis ubique litteris; atque harum responsa aliquot ut minus menses inchoatas ab se adnotationes retardaverant. Quod quidem excogitatum nec necessarium nec verecundum, ut primum aliquando prodiit, incredibile dictu est quantum invidiæ Societati Universæ conflaverit, animosque acuerit adversariorum, eoque magis quod quæ fastuose jactabantur inficiari poterant nullo modo, vel imminui. Exiit tamen Menippea quædam latinis versibus, quæ recantata toties maledicta in Societatis studia, doctrinam, opiniones, facinora, sin minus eleganter, audacissime certe refricabat. Hujus auctorem Timoleonis nomine Johannem Lamium fuisse ferunt mediocris famæ hominem, qui ut moderate de aliorum ingenio, non ita modeste de suo sentiebat. Longas item adnotationes suffecerat, ne in hac quoque parte minor esse videretur, in quibus quantum nitoris & gratiæ deerat, procacitate vincebat & virulentia. Hæc quidem omnia legentium animos vix pertentabant, quod hoc in genere nihil esset aut novum aut lepidum, quod risum eliceret vel admirationem.

16. Illud vero fuit exitiale, quod brevi pagina disseminari per vulgus latenter primo, mox batavis typis ad calcem sermonum excudi cœpit confidentissime. Hæc seriem complectebatur eorum nominum, de quibus mentio fiebat in Satyris, respondebantque singulis vera illa nomina e regione posita quæ fictis prioribus adumbrata esse dicebantur, eratque veluti clavis penitioribus adytis aperiendis commissa. Ibi eorum nomina recitabantur quotquot Florentiæ pulcherrimarum artium studiis inclarescebant, ut facto agmine detractoribus succenserent suis, partesque augerent infensas. Inventum hoc artificiose confictum etsi erat omnino falsum, atque a spectata amborum religione, honestateque abhorrens, tamen eo usque increbuerat ut nemo esset qui dubitare de illo auderet. Hujus rei fama citissime pervulgata ad Clementem XII Pont. Max. pervenit, qui ut erat e nobilissima Corsiniorum familia, gravissime tulit injuriam tot suis civibus irrogari, lædique Patriæ dignitatem immeritam. Itaque cum Francisco Retzio Generali Societatis Jesu Præposito in L. Sectani

Satyras invectus est acriter, censuraque dignas judicavit quo motus omnes inde ortos compesceret.

17. Retzius qui nihil fortasse antea de hoc negotio noverat, ut morem Pontifici gereret, litteras continuo misit quocumque esset Societatis Collegium ne quis soluta oratione aut versu quidquam scriberet in ejusmodi argumentum; simul ipse cæpit inquirere diligenter quisnam auctor sermonum esset. Quod cum Julio innotuisset, Provinciæ Præpositum monet ne longiorem instituat explorationem: Satyras ab se conscriptas fateri ultro, in quibus nihil esset omnino quod reprehenderet, Societatisque laudi id vertere, non dedecori: nullam esse causam cur illarum puderet, aut pœnam promereretur; neque vero daturum si rem aliquando in id discrimen adducere cogitasset: Paratum se tamen esse non ultra progredi, & Præpositi Generalis imperio quod erat decretum, submisse sancteque obtemperaturum. Et sane cum sextum sermonem jam absolvisset in Menippeam Timoleonis, religiose occuluit, nec nisi plures post annos Hagæ prodiit, cum jam stu-

dia partium deferbuissent, & nulla esset illius querelæ memoria propemodum relicta.

18. Interea Retzius prudenter satis nihil animadvertendum censuit, ne intempestiva severitate spem omnem præriperet utilitatis & laudis, quam ex Cordaræ ingenio laboribusque jure sibi poterat promittere. Atque eo potissimum quia litterarium hoc bellum *plus quam civile*, non ex sermonibus Julii, sed ex Lagomarsinii adnotationibus imprudentissimis comperiebat profectum, uti observatum erat a quodam gravissimo Societatis Viro, cujus judicium, auctoritatemque plurimi æstimabat. Ceterum (ut domesticos sileam) Staius Sergardius, uterque Bonamicius, & quotquot latinæ linguæ veneres exosculabantur, habenturque Scriptores optimi, ita hosce sermones laudibus extulerunt, ut cum veteribus, iisque probatissimis comparare, ne dum anteferre facilitate, elegantia, & robore minime dubitaverint. Horum ego veluti historiam fusius enarrandam putavi, ut irrogatas ab multis calumnias factorum veritate refutarem.

19. Sequenti anno autumnalibus feriis novam scribendi materiam attulit Clementina Sobieskia Jacobi III Magnæ Brittanniæ Regis Uxor, quæ paulo ante magno urbis mœrore luctuque e vivis decesserat. Hujus ille complexus est drammate pastorali, quod primum Collegii Romani scenis actum fuit nobilissimo apparatu. Illud vero mirabile quod cum Jesuitarum legibus cantum esset, ne adolescentes, qui in eorum disciplina viverent, fœminæ alicujus personam exhiberent, quod isthæc imitatio periculi plena, & veritati, & moribus plerumque noceat, argumentum hujusmodi pertractandum susceperit, in quo necesse erat principem partem ageret Matrona Regia quæ fundamentum actioni dabat & titulum. Et tamen cum nusquam prodiret, adesse continuo videbatur, nihilque erat quod aut illusionem destrueret, aut defectu præsentiæ sensum illum minueret benevolentiæ, qui lacrymas eliceret terrore excitato, vel misericordia. Quamobrem communi approbatione plausuque exceptum, theatro sæpius, multisque in locis donatum, Carolus Eugenius Guaschius publici

juris fecit, Genuæque prodiit luculentissima splendidaque editione. Commentarium item de suo adjecit, Fratrique Julii Wilelmo Calamandranæ Equiti inscripsit. Ex quo factum est ut Cordaræ nomen prioribus illis sermonibus jam celebratum latius percrebresceret in Italia.

20. Quo in opere id mihi etiam observandum videtur stylum illi peculiarem fuisse marte suo cusum, neque ut vulgo accidit, ex aliis Scriptoribus, poetis præsertim petitum, quos cursim legerat eruditionis caussa potius, quam ut sibi illos ad imitandum proponeret ex industria. Et sane cum ex antiqua studiorum institutione, quæ tunc vigebat, latinam, græcamque poesim Societatis adolescentes unice colerent, italam vix degustarent, ne lænocinio aut facilitate sermonis veteres illos fontes, a quibus cæteri hauserunt, negligerent, parum profecto otii supererat iis auctoribus evolvendis qui italici carminis principes jure optimo habentur. Et quamquam aliquid in suis versibus limatum magis desideres quod ad locutionem spectat, & numeros, nihil tamen illi pedestre fuit aut

humile, nihil asperum, nihil implexum; fluere omnia videas perspicue satis & eleganter. Quod quidem purgati est ingenii & exquisiti, atque a natura ipsa profectum facili & perspicaci, ut in iis elucet potissimum quæ ad animi relaxationem amicis identidem recitabat.

21. Sed jam tempus erat, ut ex Provincia in aperta urbis luce collocaretur, in qua duo supra triginta annos consumsit, ad biennium ferme antea quam Clemens XIV Societatem universam deleret. Ibi cum Philosophiæ tradendæ destinaretur, statuit ex trita illa Aristotelis norma, quam Maceratæ inierat, nonnihil deflectere, viamque ingredi receptis hominum opinionibus, atque adeo naturæ institutis magis accomodatam & veram. Eo in proposito multæ inerant domesticæ difficultates, a quibus ut se expediret obniti contra debebat prudentia singulari. Qui enim Collegii Romani studiis præerant, veterum doctrinis imbuti vehementer timebant ne si usitatas disciplinas relinqueret Majorum experientia, auctoritateque ratas, juvenili quodam ardore in novitatem abriperetur,

cui neque modum imponere, neque vero quo tenderet dignosci facile poterat. Id ut caute præstaret, tantum laboris vigiliæque adhibuit, ut fractæ jam valetudini cum æstivi illi calores accederent qui in urbe maximi esse solent, parum abfuerit quin defecerit. Igitur Jacobus Caracciolus Marinæ dux, qui eum sibi Præfectum in Seminario Romano habuerat, Nocerianum illi iter proposuit, quod convalescere thermalibus illis aquis speraret. Quo cum secum venisset. & Borghesiorum Principum consuetudine, quibuscum amicitias fecerat, familiarissime uteretur, non mediocrem ex illa tranquillitate atque otio utilitatem cæperat experiri. Utque erat festivissimo ingenio, lepidum carmen in Nocerianas aquas conscriptum ad Ægidium Julium virum doctissimum, suique amicissimum miserat. Sed cum illud solum horribili terræ motu quateretur, illico discessum paravit, & Tybure consedit, qui locus erat ad vitandam caniculam propter frigiditatem aeris maxime opportunus.

22. Ex illa sede in qua se recreari plurimum sensit, italicum carmen alterum jo-

cose eidem Julio inscripsit, caussasque exposuit satis graves cur sibi omnino ab Philosophia, cui primum nupserat, recedendum putaret, iisdem pœne argumentis, quibus divortia in Nuptiis peti, judiciaque institui in foro adsolent. Hoc cum Præposito Provinciali perlatum esset, facile intellexit Cordaram a Peripateticis quæstionibus abhorrentem averti oportere, studiisque amœnioribus addicendum, cum delicata præsertim valetudine conflictaretur, quam ut interea emendaret, efficeretque robustiorem, illum Canonicis institutionibus explicandis præfecit, quod munus erat & materia ipsa jam planum, & temporis spatio, quo percurrebatur, non ita diuturnum.

23. Anno MDCCXL acerbissimum funus Europæ toti accidit Caroli VI Cæsaris. Franciscus Retzius Societatis Jesu Præpositus Generalis, qui Pragæ ortum in ejusdem familiæ imperio habuerat, & multa acceperat in Societatem universam beneficia, illius memoriæ proprio & sociorum nomine parentandum statuit solemni pompa. Itaque Cordaram delegit ut illum apposita Oratione laudaret. Quæ quidem et

Cardinalium Collegio, qui pœne omnes honoris causa convenerant, & cæteris auditoribus qui frequentissimi aderant, tum copia sententiarum, tum elegantia sermonis fuit probatissima, auctoremque suum litteratis hominibus, quorum magna est semper in urbe copia, summopere commendavit.

24. Iisdem ferme diebus Christiani orbis calamitatem domesticus luctus excepit. Nuntiatum est enim Julio parentem suum, quem ille plurimum filiali caritate & amore prosequebatur, subito apoplexiæ morbo correptum Genuæ elatum fuisse, quo paullo ante accesserat, ut cælo mitiore frueretur, cum iis in locis hyemes propter vicinitatem maris clementiores esse mediterraneis regionibus soleant. Ad animi ægritudinem minuendam, quam ex hoc casu tam repentino hauserat, suasum est ab amicis ut Vitalianum Borromæum, qui postea Cardinalis fuit, e Seminario Romano Mediolanum proficiscentem deduceret, utque inde in Patria Franciscum fratrem, quem multos jam annos non viderat, e Sardinia reducem complecteretur, quod illum ibi adfuturum post obitum Patris ad res domesticas com-

ponendas pro certo habebatur. Nihilo tamen minus Taurinum cum pervenisset, absentem reperit secus ac ipse expectabat.

25. Ut autem Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis in conspectum venit (quod hujusmodi officium decere se omnino arbitrabatur tum propter majestatem, tum propter benevolentiam Principis de sua familia ac societate optime meriti) cogitare cœpit aliquantulum, num de reditu fratris quidquam modeste innueret, cum ab Rege illius mentionem cum laude factam, seque humanissime tractari intelligeret. Mollissima tamen fandi tempora prætermisit, ne ad privatum commodum abuti clementia videtur, deque hoc negotio statuit cum Marchione Ormeensi colloqui liberius & confidentius. Petitioni annuit lubentissime, cumque per eos dies triremes Regiæ e portu solverent, atque in Sardiniam navigarent, Calamandranæ Comiti statim præscripsit ut earum reditu ad Patriam properaret. Miratus ille quod redeundi sibi esset potestas data quam neque petisset, neque unquam cogitasset, ut Julium fratrem Taurini adesse cognovit ex

litteris, rem illico totam conjecit facillime. Itaque simul Calamandranam profectos, Willelmus frater natu minor provinciam relinquens brevi est subsecutus, ibique se mutuo complexi, mensem commorati sunt conjunctissime ubi tot annos anteà fuerant enutriti.

26. Cum vero Julius Romam redisset, nec quid sibi esset agendum cognosceret, ex improviso ad Societatis Jesu conscribendam historiam deligitur. Erat profecto id munus arduum atque honorificentissimum, eosque homines requirebat qui singulari ingenio, prudentia, ac fide comparati essent a natura, & ad scribendum exercitatissimi. Tabularium illis quotiescumque vellent patebat, neque gestarum rerum notitia, aut secreto ullo prohibebantur. Is erat Præpositi Generalis curiæ penitiori addictus quocum vivebat; quamquam in iis quæ ad imperium, vel administrationem faciebant nihil haberet commune. Et quoniam ad Societatem universam pertinere ex officio videbatur, multumque illi laboris ad rem bene ordinandam exequendamque erat ineundum, Socii illi duo adjungebantur, quorum alter

amanuensis munere fungeretur, alter a cubiculo esset, ut curis illis minutis solutus, gravioribus occupationibus quiete posset vacare & commode. Hi omnes publico ærario alebantur.

27. Multæ inerant in hujusmodi historia conscribenda difficultates non leves. Cum enim plurimæ chartæ quæ ex Provinciis mittebantur hispano essent sæpius, aut lusitano sermone scriptæ, necesse erat earum linguarum peritiam haberet, aut ab aliis interpretandas curaret. Codices ipsi non raro pessime exarati, multisque in locis vitiati ut legi vix possent. Erat enim sapienter initio constitutum, ut ea solum historiæ pars tractaretur, quæ Sociorum acta centum ab hinc annis narraret, essetque semper sæculi unius spatio quasi lacuna interjecta. Ita fiebat ut veritati securius consuleretur, cum ii, de quibus loquendum erat, facile interiissent, invidia quæ animos Nepotum tangeret sublata prorsus, vel certe imminuta. Enimvero ubicumque esset Societatis Collegium, unus aut alter designabatur, qui res ibi gestas quotannis colligeret summa fide ac diligentia, quarum seriem ad urbem mitte-

bat, eratque historiæ veluti promptuarium amplissimum; delectum tamen hujusmodi facere opus erat tædii plenum & laboris. Nam cum eadem fere semper recurrant, quod paria ubique essent munia, & ratio vivendi par, ut varietati fieret satis, multa erant prætereunda, nonnulla etiam quæ vix degustaret. Et tamen suam cuique provinciæ laudis partem tribuere æquum videbatur. Sane conciones habitæ ad Populum, ex quibus aliqui ad meliorem frugem reducti, vitia in urbibus repressa, mysteria frequentata, paces familiis restitutæ, atque his similia, hæc sunt profecto Religiosi ordinis decora minime prætermittenda, hæc bella quæ ipsum deceant, hi denique sunt triumphi. Præterea qui pietate, aut aliquo doctrinæ genere florentes illustrem Societati gloriam pepererunt, vel beneficiis conlatis amplificarunt, omnino sunt commemorandi, propterea quod horum oblivio vel ignaviæ, vel parum grati animi vitium censeatur. Sed isthæc qualiacumque sint memoriæ dignissima sempiternæ, locorum ubique sunt & temporum, satietatemque ingerunt lectoribus fastidiosam. Alia etiam

aderat difficultas ex latina lingua, qua uti oportebat, petita. Etenim cum nulla esse possint in veterum latinorum scriptis propria nomina quæ res christianas designent, nec nova in medium afferri placeat, necesse erat easdem reddi solerti quadam verborum circuitione quæ sensum ipsum referret, ejusque esset linguæ indoli & genio accomodata. Quod etsi ab aliis recentioribus erat jam antea inventum, tamen cum eadem perpetuo occurrerent inter scribendum, mutanda erant sæpissime ut varietati prospiceretur.

28. Cæterum Societatis historiam a Nicolao Orlandinio inchoatam, Franciscus Sacchinius, Petrus Possinius, Juvenciusque ad annum MDCXV perduxerant. Verum Juvencius patriæ levitatis non immemor annalium ordinem cum minus probasset, res ille gestas a capite ad calcem narrandas continenter susceperat, non jam temporum seriem, sed potius materiam sequutus. Tamen Cordara priorem sibi viam ingrediendam putavit, quæque ab Guinigio, cui successerat, collecta erant diligentissime cum evolvisset, ita assiduis laboribus, vigiliis-

que incubuit, ut primum illud volumen satis amplum biennio minus absolverit, quamquam domesticæ diuturnitate censuræ, quæ exerceri a multis consueverat ob rei magnitudinem, octavum post annum prodierit. Alterum suæ historiæ volumen decennio vix compilaverat, cum ille chartis legendis ordinandisque plurimum adlaborasset. Atque illud profecto exisset in publicum, si miserrima illa temporis conditio & calamitas, quæ nusquam nisi ad obitum Societatis resedit, conquiescere aliquantulum potuisset. Itaque hujus unicum exemplar in Tabulario Romano asservatum ad quas denique manus pervenerit penitus ignoratur non sine gravi laudatissimi illius ordinis jactura.

29. Primam historiæ partem, quæ etiamnum legitur, qua tandem adprobatione exceperint litterati homines, neque ii solum qui rebus Jesuitarum faverent, sed illi etiam qui animo essent infenso, suæque celebritati potissimum inviderent difficile est referre. Judicia extant multis in locis amplissima ex variis gentibus profecta. Unum hoc satis erit commemorare, quod in Bi-

bliotheca Scientiarum atque artium Lugduni Batavorum edita prolatum fuit anno MDCCLIV, ubi postquam in Julii Cæsaris Cordaræ laudem plurima contulisset, elegantiamque commendasset & stylum Augusti ætate dignum, Italorum Scriptorum quotquot sunt facile Principem appellare non dubitaverit, Illud sibi unice improbandum videtur, quod piorum virorum prodigia quædam adsciverit, quodque in Religiosis disputationibus, quas cum Acatholicis Jesuitæ iniissent aliquando, victoriam semper sociis soleret tribuere. Hujusmodi accusationes Julius statuit refellendas responsione plena, ac modesta quam postea Franciscus Antonius Zaccaria in appendice ad suam historiam litterariam censuit adjungendam.

30. Cum autem tot rebus distineretur gravissimis, mirum certe videri debet quo nam modo tempus suppeteret ad alia multa quæ aut occasio ferret, aut amicorum consilio hortatuque proponebantur scribenda. Sane cubiculum ille suum, quantum Jesuitæ licuit commode satis, nitideque ornaverat, & bibliotheca auxerat exquisita, ut sua ibi studia ad plures horas protrahere sine ulla

molestia posset. Animadverterat enim sæpissime quantum ipse corporis status & jucundus & placens ad mentis quamdam amænitatem conduceret. Et quoniam in iis quæ ad historiam pertinebant plurimum facilitatis assidua exercitatione hauserat, stylumque fecerat diversis narrationibus accomodatum, perspicuum illum quidem, & maxime ordinatum, ita ad aliquorum res gestas scribendas animum appulit appetentem laboris. Azevedii vita primum prodiit Johanni V Lusitaniæ Regi dicata, qui ad Brasiliensem missionem cum navigaret, & in Hæreticum Piratam incidisset, patenti mari fuerat una cum XIII Sociis crudelissime enecatus, duæ aliæ præterea historiæ consecutæ sunt, quarum altera Beati Barbarici acta complectitur, curante Jacomellio, qui tum erat Pontifici Maximo ab latinis epistolis, alteram Beatæ Eustochii Patavinæ, quæ ea in urbe in Benedictino Virginum Collegio vixerat, suadente Fantinio illius concivi, domestico ejusdem Pontificis Prælato. Quartam denique vitam absolvit Simonis Roxasii e Trinitariorum familia. Hic cum nuper esset in Beatorum numerum solemni ritu adscitus, Antonius

Morenius Generalis ejusdem Ordinis Procurator, qui eam causam apud Pontificem Maximum postulaverat, enixe egerat cum Julio quo illius fastos exequeretur, qui Societati olim fuerat addictissimus. Atque hæc postrema ratio illum præ ceteris impulit ad scribendum.

31. Nec sua solum curabat, sed aliorum etiam studia, Sociorum præsertim favebat, cum enim Guido Ferrarius e Mediolanensi Societatis Provincia commentarium fecisset de bello Pannonico, qui Eugenii Principis a Sabaudia res gestas continebat, illumque ad Cordaram misisset, quem summo ingenio præditum, elegantiaque latini sermonis celebrari audierat in Insubria, ut suis posset consiliis juvari, non modo opus probavit Cæsariano plane stylo confectum, sed illi Auctor maxime fuit, ut inchoatam Magni illius viri historiam ad exitum usque duceret. Præfationem etiam de suo addidit, quam Alexandro Albanio Cardinali amplissimo dicavit, Romæque edidit ex officina Mainardiorum.

32. De Italici nominis gloria cum esset sollicitus, vehementissime angebatur quod Italam Juventutem videbat exterarum insti-

tutionum pedissequam, eorum hominum consuetudines avidissime consectari queis potius decebat imperitare, victusque normam & vestium ab iis petere qui barbari aliquando fuissent ab suis Majoribus habiti, moresque sumerent impudenter, patria dignitate posthabita, leves mehercule, & ridiculos. Quæ omnia decem omnino dialogis complexus est, in quibus multa de veteri disciplina, de genuina urbanitate atque elegantia, deque transalpinis peregrinationibus acute, & luculenter disseruit. Eodem animo epistolam Aurelio Januario doctissimo jurisperito dederat, ubi postquam illi gratiam habuisset, quod duos ad sese libros dono mittendos curaverit, alterum qui *Feriæ Autumnales* inscribitur, alterum *de Republica Jurisconsultorum*, mutatam temporum conditionem dolet, eos, qui de legibus agunt inculte prorsus scribere ac barbare, cum formulæ ipsæ & voces queis uti convenit, ex purissimis fontibus derivari facile possint.

33. Interea anno MDCCLI Franciscus Retzius Præpositus Generalis moritur. Quod cnm Societati universæ nunciandum esset, ut ad successorem eligendum illi ad Urbem celer-

rime convolarent qui ex variis provinciis essent ad id munus delecti, Epistolam Julius scripsit laudationis plenissimam, cum hujusmodi officium ad Societatis historicum pertineret. Ut autem per eos dies ex adventantium numero concursus fiebat non levis, statuit sede illa relicta in domum Novitiorum secedere, quæ erat in Quirinali posita, quo suis studiis melius prospiceret, ac quieti. Loci hujus amœnitate plurimum delectatus, infaustam Caroli Odoardi Walliæ Principis expeditionem, quam in Britanniam susceperat, libris IV comprehendit. Atque in primo discessum Caroli ex urbe nartat, ejusque in Galliam adventum trajectumque in Scotiam, paterni regni recuperandi causa, a quo erat expulsus. Res ibi feliciter gestas, partasque initio victorias alter commemorat. Tertius mutatam belli fortunam usque ad Cullodiensem pugnam complectitur, quæ suis copiis vel fugatis vel cæsis, deletoque exercitu spem illi omnem ademerant Britanniæ subigendæ. In quarto denique miseram Principis fugam exponit, erroresque longos & varios per Hebridas Insulas in summo vitæ discrimine, victusque

inopia, qua premebatur, cum ab victoribus passim quæreretur ad necem, priusquam ille ex tot periculis præter omnem expectationem elapsus clam navim conscenderet, atque in Galliam appelleret felici itinere, atque insperato.

34. Hæc quidem Historia, tum magnitudine ac varietate eventuum, tum gratia Principis, cui præter bonam fortunam nihil virtutis deesse videbatur, aut laudis, tum etiam propter venustatem sermonis, qua cæteris suis scriptis præstabat, uti ipse Auctor sentiebat, plurimam Julio famam conciliasset, si opus illud tam cultum, tamque elaboratum in publicum aliquando prodiisset. Sed cum metueret ne partium studio Britanniæ, aut Galliæ Reges potentissimos sibi et Societati faceret inimicos, ulterutriusve gloriæ invidisse diceretur, modeste semper celavit, paucisque amicis legendum permisit. Meminerat enim Castruccium Bonamicum ob eam caussam Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis iram summopere veritum, quod suis in Commentariis de bello Italico rebus Genuensium, qui eum ad illud bellum scribendum impulerant, verius favisset fortasse, quam prudentius.

35. Et quoniam hujusce belli mentionem fecimus quod ab Maria Theresia Austriaca, & Victorio Amædeo Sardiniæ Rege in Italia gerebatur contra Borbonios, non abs re erit casum narrare, qui Cordariorum familiæ accidit permolestus. Erat Julio Patruus, quem plures annos in urbe fuisse diximus. Hic cum sibi iter honoribus ineundis obstructum videret, quod quæstio esset Pontificem inter Regemque suum de beneficiis conferendis nondum soluta, ingravescente ætate Calamandram secesserat, ibique vivebat quietissime. Borbonii tunc belli occasione per Genuensem oram in Montisferrati provinciam fecerant irruptionem. Eo cum adventasset Tribunus militum cum parva manu, in ea se arce quam habitabat admitti illico postulavit. Quod ubi impetrasset (quid enim Cordaræ satius faciendum erat, quam parere, blandisque verbis intemperantem hostium arrogantiam delinire?) enixe contra oravit ut nullam agris, Colonisve inferri injuriam ab suis militibus pateretur; qui ita sunt continentissime versati, ut nulla fuerit de iis querela oborta. Ineluctabili hac receptione, & quod equum vidissent ex sub-

subalpinis excubiis captum illuc ab Hispanis introductum ad prædam fuisse, gravissima in Cordaram accusatio conflari cæpit, quasi ille partibus Borboniorum studeret clanculum, opibusque suis hostem juvasset deditione arcis. Quamobrem cum hæc falsa esse non satis constaret, CC equites immissi fuerant, qui illum ad Hastam Pompejam deducerent, & Castelli præfecto committerent custodiendum.

36. Hujuscemodi nuntio per litteras ad Julium perlato, statim cognovit totis sibi viribus obnitendum, ut injuriosam illam suspicionem deleret si qua Regis animo insedisset, ne causa caderet tam præsenti, in qua non jam de fortunis, sed de ipso capite esset dimicandum; eoque se magis opitulari decebat cum fratrum suorum neminem prodesse posse intelligeret, quod alter in Sardinia absens, alter in Regio exercitu cum esset severissimis legibus prohibebatur, ne se huic causæ immisceret. Itaque ad Pontificem Maximum Benedictum XIV se contulit, quem ille Anconæ, uti supra commemoravimus jamdudum cognoverat, habueratque sui amantissimum. Rem quem-

admodum acta sit diligenter exponit; oratque multis cum lacrymis ne Patruum ille suum opprimi sinat calumniis inimicorum. Nihil ab illo contra fidem, jusquejurandum commissum: suæ esse integritatis ac Religionis ejus viri innocentiam tueri, qui cum in numero esset Prælatorum Palatii ad suam quodamodo familiam pertinebat. Pontifex, cui hæc omnia ex Apostolici Nuntii litteris jampridem erant comperta, humanissime respondit sibi illam rem cordi esse, & si quid benevolentia & gratia apud Regem valebat, minime defuturum. Bono esset animo, ac bene de Patrui vita libertateque speraret. Etsi hac promissione plurimum recreabatur, nihilo tamen minus ad Gorzagnii Marchionem, qui penitioribus Regis negotiis summa cum potestate præerat, epistolam mittit, obtestaturque pro veteri sua amicitia, ut illam accusationem ex adversariorum invidia, odiisque profectam sua auctoritate curet diluendam. Nullum ex sua familia perduellem fuisse qui omnes essent studio erga Regem, fideque commendatissimi. Responsum est ab Gorzagnio paucis: Fraudis calumniam, Cordaræ innocentiam

detectam: Existimatione incolumi judicium absolutum. Magnam hinc voluptatem cum cæpisset Julius, egit Pontifici gratias, cui illum videre sæpius erat jucundum, uti humanissime significaverat.

37. Earum rerum omnium cum certior factus fuisset Patruus, qni quanta ab Julio acta pro sua salute incolumitateque essent, nihil ut intentatum relinqueret, ex amicorum narrationibus identidem colligebat, illum etiam, atque etiam flagitabat, ut ad se veniret quam citissime, mensemque unum & alterum secum traduceret mutua amborum gratulatione. Facultate ab Aloysio Centurionio Præposito Generali impetrata, qui Ignatio Vicecomiti, cujus brevissimum fuit imperium, per hos ferme dies successerat, dum Calamandranam proficisceretur multa in eo itinere habuit honoris testimonia & amicitiæ. Nam & Mutinensium ducis uxor Maria Theresia Massæ & Carrariæ Princeps duos ibi dies detinuit, neque ut discederet permisit, nisi in reditu, quem vere ineunte adparavit, longiorem illi moram promitteret. Mediolani cum esset, Odoar-

dus Vicecomes Braydensis Collegii Rector, quem postremis Jesuitarum comitiis noverat, Vir summa humanitate, & candidissimis moribus apud omnes notissimus, nulla excusatione accepta, illum in Paradisianum deduxit, ubi plerique sociorum convenerant ad animi relaxationem consuetam. Eo in loco cum triduum integrum jucunde esset, familiarissimeque versatus Vercellas contendit; qua in urbe cum præter spem Willelmum Fratrem, qui Regiis erat copiis illius Stationis præfectus, invenisset, gavisus est maxime, hortatusque ut quam brevissime posset Calamandranam, quo ille statim petebat, accederet.

38. Enimvero huc cum venisset, in Patrni amplexum amantissime ruit non sine magna utriusque lætitia, illumque plus quam ætas ferebat sanum reperit & valentem. Ibi cum suum erga se studium commendasset, suam ille contra professus est singularem benevolentiam, quo in genere ne minimam quidem partem prætermisit officiorum. Sed jam de reditu cogitanti gravissimum illi videbatur suos relinquere, quasi vero impendentes calamitates quodamodo præsentiret. Et

sane cum per occiduam Ligustici maris oram iter iniisset, Romamque adventasset, Willelmum fratrem vita functum plurimis ex litteris intellexit. Hæredem ex testamento Franciscum Fratrem instituerat ea lege ut Julio HS bis mille & quadringenta quotannis darentur, dum viveret. Qua ille pecunia monumentum ex marmore Calamandranæ posuit elegantissima inscriptione (*). Commentarium etiam scripsit de illius vita, quo sic mœrorem aliqua ex parte imminueret, quam ex hac morte cæperat acer-

(*) D. O. M.
Iohanni Guillelmo Cordaræ
Ex Comitibus Calamandranæ
Equitum Legionis Sabaudicæ
Instructori
Virtute ac Scientia militari
Conspicuo
Candore animi morum integritate
Summis infimisque Probatissimo
qui Vixit Annos XLVIII Equo meruit XXX
Vercellis in Stativis obiit
XV Kal. Maias A. D. MDCCLXVI
Iulius Cordara Soc. Iesu
Fratri amantissimo ac Benemerenti
Marmoreum titulum
Ab Urbe transmissum
P. C.

bissimum. Nec multo postea Patrui quoque funus accessit, quem veluti Parentem alterum constanter coluit. Gemino hoc luctu perculsus Julius ægritudinem quamdam contraxit, quæ valetudinem debilitabat, cum ita esset præsertim a Natura comparatus, ut sensum haberet in prosperis æque ac in adversis maxime exquisitum. Inde fiebat, ut quantum illi erat laboris, tum ex historici munere, tum ex frequentibus amicorum, quibus se facilem præbebat, instantiis obeundum, proficeret potius, quam noceret, quod diversione inducta curas facesseret severiores.

39. Quodcumque igitur in Urbe accidisset quod soluta esset oratione aut versu concelebrandum, gratulationes, conciones, næniæ, id pæne totum Cordaræ committebatur. Jacobi III Magnæ Britanniæ Regis funus solemni pompa magnificentissime in Vaticano extructum Octavii Busalinii rogatu descripsit, laudationemque adjunxit ornatissimam. Alexii Orlovic, qui Catherinæ II. Russorum Imperatricis navalibus copiis summa cum potestate præerat, mirandum facinus, elaboratis ad cantum versibus, Fran-

cisci Cancellierii sui Amicissimi hortatu extulit. Is enim Ægeo in mari Ottomanorum classem, quæ Chismeensi in portu anchoram jecerat, illisque se propugnaculis tuebatur, incendio absumpserat, audacia pæne incredibili. Cothurno sæpius, & Socco digna conscripsit, quæ a Nobilibus Seminarii Romani adolescentibus domestico in theatro fuere acta frequentissimo concursu & plausu. In Rogerii Boschowichii fictam cæsariem, qua usus Londini fuerat (quod apud illas gentes Catholicorum Sacerdotum, & maxime Jesuitarum speciem cultu corporis referre, ex quo ab Romanæ Ecclesiæ ritibus defecerant, capitali lege prohibebatur) lepidissime jocatus est etruscis versiculis, quos tribus omnino elegiis latinos fecit Raimundus Cunichius, Vir ex eadem Societate celebratissimus.

40. Equidem invenio Cordaram postremo hoc genere versuum venam nactum fuisse & facilem & jucundam, cum ea quæ sibi ad dicendum proponeret novis plerumque inventis scaterent, iisque essent verbis prolata, ut sponte omnia nitideque fluerent ex re ipsa deprompta amœnissime sine ullo ar-

tificio aut labore; neque aliter a quopiam efferri potuisse crederes, si procul a rithmo & numeris planissime esset locutus. Hujusmodi extant quamplurima quæ in Soriano apud Albanos Principes, in Monte Sancto apud Bonacorsios, in Albano apud Perellium Cardinalem, atque alibi, Autumnalibus præsertim feriis, dum apud amicos diversaretur sæpissime recitabat. Horum nos magnum numerum omittendum putavimus, cum multa sint quæ circumstantiis sublatis sensum omnem venustatis amittere, & frigida esse debeant & obscura. Illud vero notatu dignum videtur, quod cum propter tenuitatem materiæ hærere non raro Poetæ, nec nisi jejuna in medium afferre soleant, contra ille in levissimis argumentis tractandis non modo illa se angustia extricaverit, sed novis ubique viis inventis iter sibi latissime percurrendum patefecerit; cumque in eos qui aderant jocari aliquando oporteret, suis ille facetiis continuo egerit ut risum quidem eliceret, non iracundiam; quippe qui noverat Vir prudentissimus quæ sibi essent dicenda pro tempore, aut prætereunda

ne injuriam alicui faceret, aut delicatum quorumdam ingenium plus nimio vellicaret, & maxime amicorum. Quæcumque autem ex illo hujus generis excidissent colligebantur ab multis, perque urbem celerrime traducebantur.

41. In Albano cum esset, accidit ut apoplectico ictu ex improviso obiret asellus quidam, qui in Hieronymiano Monachorum Collegio plures jam annos degerat, eratque Abbati mirifice carus. Hujus hic mortem cum acerbissime ferret quod nullum illo dociliorem aut valentiorem cognoverat, queri passim solebat de fato asini, ejusque laudes prolixe enumerabat. Cujus querimoniæ fama tam crebris sermonibus, non sine risu evulgata, brevi ad ipsum Clementem XIII pervenit, qui in Gandulphiano non procul ab iis locis vivebat. Hic aliquando cum Perellium Cardinalem vidisset, ejusque rei mentio inter loquendum fuisset: Ecquid, inquit, agit Cordara? Cur non hunc casum tam subitum, tamque insperatum suis ille versibus cessat illacrymari? Hac porro voce admonitus Julius carmen illico protulit venustis-

simum, in quo postquam asini dotes tum corporis tum animi egregias, mœroremque Abbatis commemorasset, diligenter inquirit, quibus potissimum de causis apoplexia prioribus annis rarissima, nunc vero tam frequens Europam ferme totam infecerit, & quo illa fonte gigni, propagarique soleat ex accuratis Medicorum observationibus docet. Cumque illud animal mansuetum & sobrium iis omnino vitiis caruisse ostenderit, quæ hujusce morbi incitamenta habentur, & quasi semina, veneficum quid ex Siphyllide reliquum suspicatur. Quos versus cum Abbas ipse legisset, non sese tenuit quin risu saltem probaret, neque umquam potuit quis auctor eorum esset cognoscere.

42. Erat Cordara Clementi XIII jampridem notus, a quo non pauca benevolentiæ officia acceperat. Idem, dum ruri esset, munuscula ad illum mittebat, & cum in Albano rusticaretur sæpe invitabat ad mensam, quæ aulæ Proceribus, familiaribusque Nobilibus lautissime instruebatur. Utque ille Pontifex paterno animo Societatem Jesu universam fovebat, gravissimisque jactatam

periculis auctoritate sua ac numine sustentabat, sic Illum Julius insigni amore ac reverentia prosequebatnr; quæque is difficili atque arduo Christianæ Reipublicæ tempore fortissime constanterque egerat Caroli Rezzonici Cardinalis Sanctissimi jussu in commentarium retulit verissima laudatione. Quin & totam Rezzonicorum domum de se, Sociisque optime meritam enixe coluit, quod eorum virtutis comminisci, a quibus potissimum beneficia acceperis, honesti esse animi debitum profiteretur.

43. Atrox per id tempus & vehemens procella ingruerat, quæ ab Austro primum exorta protendere se latius propagarique est visa, donec ventorum vi sæviente ad ceteras quoque plagas delata toti fere cœlo incubuit, & Societatis Jesu navim continuis quassatam fluctibus, scopulisque illisam miserrime absumpsit naufragio memorando. Iam Socii e Lusitania latronum ritu exturbati, ejecti, quod Divi Ignatii legum sanctissimarum oblitos ad scelestissima quæque dicerent procurrisse, cum omni littore prohiberentur, non longe ab Tyberis ostio, contra jus gentium maritimis illis oris expositi, humani-

tate demum Pontificis jam tum ab anno MDCCLX hospitio excepti, Romano in agro consederant freqnentissimi. Biennio postea deleti in Gallia fuerant, quod boni quamquam Jesuitæ habiti essent, & docti singuli, Ignatiano tamen illo vitæ instituto uterentur, quod Regni legibus statutisque, & publicæ etiam tranquillitati obnoxium reperiebatur. Et tamen hæc ipsa pugnantium opinionum discordia, judiciorumque disparitas cum cæcam quamdam invidiam utrisque in locis proderet, nihil hinc meditatum maleficium retardabat, conspirabatque amicissime, nescio quo fato, ad Jesuitarum perniciem promovendam. Galliæ exemplum sequuta Hispania, quique ex eadem Borboniorum familia Principes imperium in Italia obtinebant, eos indicta causa, uno die, unaque hora deportari ex abrupto jusserant in ditionem Pontificis. Quorum ut magnus erat numerus, variis in urbibus fneraot disseminati. Hæc omnia cum videret Julius, cui propter Historici munus melius quam ceteris Sociorum erat innocentia perspecta, ita animo cæpit concidere dejecto & tristi, ut corporis etiam

valetudine debilitata deficeret sensim, ac veluti contabesceret. Eo in statu consuetum habuit in litteris perfugium singulare.

44. Itaque Collegii Germanici historiam aggressus est scribere quam libris quatuor comprehendit. In primo, Collegii institutionem a Divo Ignatio auctore factam & ab Julio III auctam usque ad Pontificatum deduxit Gregorii XIII, cujus Pontificis pietatem, ac Regiam plane munificentiam perpetuo censu, pecunia, prædiisque Collegio amplificando attributis commemorat. In secundo Leges item recenset Nobilium adolescentium moribus, studiisque efformandis apprime utiles, quamque Michaelis Lauretani, qui primus Collegio regundo præfuit, consilio res floruerint & prudentia. Tertius liber eorum nomina complectitur, qui primi ex hac disciplina profecti sunt, quæque in Germania, aut in Hungaria strenue sanctеque ad Christianam Religionem vel fovendam, vel dilatandam susceperint celeritate & fructu incredibili. Nec vero ultra Gregorii tempora narationem ille suam excurrere prudenter judicavit, quod opus esset & rerum multitudine immensum, & de-

lectu ipso nimis fortasse periculosum. In qnarto denique exponit qui status esset, dum hæc scribebat, Collegii, quibusque adjumentis uteretur aut legibus. Totum autem opus summa elegantia, pulcherrimaque latinitate absolutum Christophoro Migatio Archiepiscopo Vindobonensi & Cardinali amplissimo dedicavit, quod ille Romæ fuisset in eodem Collegio educatus, suæque Nationis illustrium virorum, qui ex hac item palestra prodiissent, laudes complecteretur.

45. Sed cum hac diversione nihil ad valetudinem restaurandam proficeret, in Albanum secessit, ut loci amœnitate atque otio, & moderata equitatione vires augeret suas. Ibi aliquot menses cum habitasset, ac Serbellonii Cardinalis ejus urbis Episcopi consuetudine uteretur, multa versu, multa etiam soluta oratione scripsit, quippe qui semper aliquid temporis ad studia litterarum concederet. In his Francisco Cancellierio lucubrationem misit ex Johannis Augusti Bentinii opere excerptam, in qua leges moresque Romanorum exequitur ex Syntagmate Heineciano.

Quod quidem suam erga Cancellierium benevolentiam demonstrat, qui tum Romanæ Jurisprudentiæ operam per eos dies navabat, Juliique omnigenam & facilem eruditionem. Et quoniam hujus viri memoriam fecimus, æquum etiam videtur silentio minime præterire, quodcumque nos de Cordaræ vita, dum Romæ fuit, narravimus, id totum ex italico illius Commentario accepisse, quem ad nos transmittendum una cum scriptis ejusdem curavit humanitate summa ac diligentia. Cujus testimonii auctoritatem plurimi facimus, propterea quod amicissime cum illo, quotidieque versatus, suarum rerum historiam ab Julio ipso meminerit communicatam.

45. Hic illi auctor aliquando fuit, ut cum gravioribus disciplinis animum advertere ex Medicorum præceptis prohiberetur, vitam ille suam conscriberet, Antonii Gratiani exemplo, quod opus erat a Lagomarsinio editum, & litteratis viris acciderat jucundissimum. Placuit Cordaræ consilium, manumque illico admovit libentius, tum quod earum rerum memoriam retexere, quæ sibi accidissent, magnam plerumque

adferat voluptatem scribenti, tum quod ejusmodi occasione capta multorum etiam eventuum meminisse oportebat, qui non privatam solum, sed publicam Europæ historiam complectebantur. Quin & occultæ factorum origines, paucisque cognitæ, & genuinæ quorumdam virorum imagines, & mores, & studia, & amicorum dotes aut vitia occurrebant commemoranda, varietatemque habebat descriptionum latissimam. Hoc quidem opus in Albanensi illo otio inchoatum, in patria denique absolvit postea, narratione usque ad occasum Societatis perducta, & ad Franciscum Fratrem Calamandranæ Comitem misit, conditione pacta ne ex domesticis penetralibus nisi multos post annos exiret, ne quædam fortasse proderet, quæ damnum alicui inferrent, aut ignominiam conciliarent.

47. Interea Romam reversus cum parva esset valetudinis instaurandæ spes sibi relicta, statuit Alexandriam Statielliorum concedere, quod nativo illo Cælo facilius convalescere ex Medicorum consilio, & præteritis etiam experimentis arbitrabatur. Igitur pridie Kal. Junias, anni MDCCLXXII

iter

iter illuc instituit, heu nescius quod illam urbem quam relinquebat, & quam tantopere amabat, nusquam sibi revisere fato concederetur! Nam XVII Kal. Septembres anni MDCCLXXIV. Clemens XIV Borboniorum rogatu, nullo habito prius judicio, Societatem Jesu quæ jam CC & amplius annos firmissime steterat, fatali edicto abolendam decrevit. Etsi hunc denique finem Jesuitarum res habituras Julius multo ante providerat, nihilo tamen secius gravissime perculsus hoc casu fuit, mœroremque supra quam dici potest habuit vehementem. Extat italicum epigramma, quo vestem ille suam alloquitur, quam deponere omnino cogebatur ex lege, teneris adeo sensibus refertum, ut statim legenti appareat quantum Societatem amaverit ærumnæ quamvis plenissimam ac laboris.

48. Hinc factum est ut, cum apud domesticos quiete posset versari & commode, in Alexandrino Collegio maluerit habitare, quod unicum erat Sociis, qui simul vivere optarent, ex Regis clementia perfugium constitutum. Ut primum potuit ex

acerbo illo nuncio aliquantulum conquiescere, veterem sibi viam litterarum statuit repetendam, quo novis cogitationibus animum implicaret egentem solatii, mentemque ab illis ærumnis averteret occupatam. Nicianæ urbis originem jocosi fecit poematis argumentum, quod ex Ghilinii annalibus ad annum MCCXXXV desumpsit. Res ita porro se habuit. In ea Montisferrati parte quam olim Statellii coluerunt, vallis est amœnissima, quam Belbus flumen interfluit, constatque pagis omnino VI, quibus Dynastæ totidem principabantur, qui hujusmodi imperium ab Montisferrati Marchione *feudi* ut vocant titulo obtinuerant. Ibi, ut status ferebat eorum temporum, munitis arcibus singuli se continebant, dominationemque in populos exercebant durissimam. In his nefariam consuetudinem a Christianis institutionibus abhorrentem invexerant, qua *fodri* nomine jus quoddam in novas Popularium nuptas statuerant, primusque sibi concubitus impudentissime vindicabant. Indignam hanc jussionem incolæ per aliquod tempus cum pertulissent, stimulis tandem acti honoris &

famæ, aeris campani signo, uti erat condictum, ex Belmontiana turri dato, conspiratione facta Dynastas aggrediuntur, castrisque dirutis, eorum internecione labem illam suis familiis inustam delerunt. Hinc postquam Bonifacii Montisferrati Marchionis copias auxilio Alexandrinorum fregissent, sese omnes in unum recipere prudenter duxerunt, atque ubi Nicia flumen in Belbum influit, sumpto exinde nomine urbem fundarunt, quæ paleariæ etiam cognomentum accepit, propterea quod primum mapalibus habitassent. Erat profecto illud thema satis periculosum & lubricum judiciose tractandum, ne dum jocari intendit, in turpem quamdam scurrilitatem procurreret minus pudice. Et quamquam id præstitisset castigatissime, noluit tamen in vulgus edere, cum esset materia a dignitate aliena, quæ Sacerdotem, & maxime Jesuitam decebat. Prodiit nihilominus anno MDCCLXXXIX Augustæ Taurinorum, quadriennio ferme postea quam Julius e vivis decesserat, sed ita corruptum, ut multa ibi mutata, multa etiam fuerint prætermissa, inscitiane editoris, an vitio furtivi codicis, non vacat inquirere.

49. Pio VI. Pontifici Maximo qui anno MDCCLXXV Clementi XIV successerat, solemnem habuit gratulationem in Alexandrina Academia, cui illud factum acciderat jucundissimum, quod illustrem Braschiorum gentem, antequam in Æmiliam commigrasset, jam tum initio sæculi XVI suam Urbem incoluisse, patricioque jure atque honoribus ab ipsis donatam certissimis documentis repererant; quæ omnia ex publico tabulario descripta ad Pium ipsum curaverant deferenda; quo tanto Cive nobilitata Patria, propriore hoc titulo in partem veniret publicæ exultationis. Pontifex qua erat humanitate, litteras officii plenas rescripsit, suamque imaginem grandi in tabula depictam misit, in Urbis palatio asservandam, quæ testis esset suæ erga illos benevolentiæ. Syndicorum & decurionum nomine Julius egit Pontifici gratias epistolamque alteram scripsit nobilem & elegantem. De ejusdem profectione ad Aulam Vindobonensem, ejusque causis atque exitu commentarium confecit, cum res esset multis ab hinc annis insueta, Piique animi magnitudinem commendaret.

50. Patriæ Immobilium Academiæ præfuit, quoad vixit, Cordara, Sociorumque laudi, celebritatique continuo studuit amplificandæ. Alexandri Sappæ Concivis sui, & amicissimi opera cum edidisset, plura alia adjunxit in illa ipsa Academia multorum carmina recitata, quo sic ingenia acueret proposita fama, imitationemque excitaret, otio posthabito, ad litteras excolendas. Pari consilio ejusdem funus honestissime instructum, splendida oratione, & versibus est prosecutus, cum diceret vehementer Academiam decere ejus viri memoriam exornare, qui Patriæ decus finitimis quoque gentibus intulisset. Quocirca ad hanc rem perficiendam aulam constituit satis amplam in Gymnasio Alexandrino, cui vivens fuerat Caroli Regis providentia studiis regundis præfectus. Inscriptionem quam in Ædium ingressu posuit operæ pretium erit commemorare. Ea autem erat hujusmodi.

Adeste o quantum est hominum honestiorum, vosque studiosa Juventus maxime, & Alexandro Sappæ Patricio Alexandrino Poetæ sui temporis nulli secundo, eximia in

Deum pietate, viro gratioso apud Regem in paucis, summis infimisque ob spectatam vitæ innocentiam, & effusam in omnes benignitatem acceptissimo; qui studiorum regundorum provinciam in hoc Athenæo incredibili suo labore, ac pari sedulitate per annos ipsos octo supra viginti gessit, peracerbo funere e vivis erepto justas, & lacrymis mixtas laudes pendite. Sic pro veteri amoris mutui necessitudine Julius Cordara Princeps Immobilium rogat.

51. Ceterum cum ad Poesim animum sæpissime addiceret, quæ erat ad tædium minuendum veluti asilum relictum, cogitare cæpit num in Eclogis scribendis, novi aliquid afferre posset, quæ res usque adeo indictas tractarent. Cumque in hoc genere satis superque Pastores, Bubulci, Caprarii, Messores inducti essent loquentes exemplo veterum, Sannazarius etiam Piscatores in medium egerit, de mari, de ventis, de piscibus, deque omni piscatorio apparatu disserentes, experiri voluit, an militares quoque Eclogæ educi possent. Harum aliquot Italicis versibus protulit, quæ ita sunt communi doctorum hominum judi-

cio commendatæ, ut Franciscus Carbonius in Calaritana Universitate Professor ad ipsum scripserit: „ Eclogas tuas militares „ avidissime legi, & vehementer probavi. „ Minus est quod apud Romanas Ephe- „ merides de illis prædicatur, quam ipse „ sentiam. Nam & novæ omnino sunt, „ tuaque illa fama dignissimæ, & faciles „ & elegantes. Eas fortasse meditor lati- „ nas facere, quamquam opus hoc videam „ plurimis difficultatibus implicatum. Tute „ ipse profecto Auctor commodius id præ- „ stares & melius; atque ut velis aliquan- „ do enixe rogo & flagito ". Hujus consilium sequutus Cordara, eas latine vertit mirabili facilitate atque elegantia, eæque tandem sub Nivildi Aphronii nomine vulgatæ sunt primo typis Calaritanis. Venatorias etiam Eclogas tentasset, uti Cancellierio scripserat, cum aucupio potissimum delectaretur, quod exercere adolescens per Autumnum solebat in Tusculano, (qui locus olim M. Tullii Ciceronis otio & Philosophicis studiis nobilitatus Romano denique Societatis Iesu Collegio cesserat) nisi tempus defuisset, quod illi tamen a litte-

vario labore vacuum fuit numquam. Multa enim soluta oratione scripsit petitis condequaque argumentis. In Petri Metastasii summi Poetæ funere, quem ille merito Theatri Restitutorem, Italiæque Sophoclem appellabat, splendide parentari ab Universa Academia censuit, orationemque habuit de illius carminibus laudatissimam. Quantum Italica horologii regundi ratio ad meliorem temporis partitionem, vitæque usum, Gallorum præstaret consuetudini, plane, copioseque disseruit. In eos invectus est acriter, qui vestiendi normam petebant ex Gallia, quæ, ut q. Sectani verbis utar, jam tum habebatur

Sedula nugarum cultrix, atque arbitra luxus;
illosque insectatus est maxime qui formis procacibus, ac meretriciis pudorem exuerent, & publicos mores corrumperent. Italici sermonis dotes venustate & copia & flexu Gallorum linguæ longe anteferendas asseruit æquissima disputatione. Enimvero nihil illi stomacum magis movebat, quam quosdam audire linguæ utriusque imperitos gallicis quandoque verbis, aut locutionibus patrium sermonem adspergere, vel potius

conspurcare, ejusque vitii causam non ad ipsorum inscitiam, uti decebat, sed ad linguæ defectum indolemque traducere; quasi vocibus carerent Itali quæ æquipollentes essent, & ad quælibet designanda accomodatissimæ.

52. His atque aliis lucubrationibus occupatus jucundam & placidam senectutem degebat, nisi quod veterem Societatem amissam, Urbemque Romam relictam ingenti cum desiderio identidem commemorabat. Ingenium erat ad studia obeunda paratum semper atqne alacre. Valetudine utebatur, quantum per ætatem licebat, satis comoda & firma. Id unum postremis duobus annis dolebat quod longa animi fatigatione memoriam non ita promptam haberet, & expeditam; nec tamen suam ille viam deseruit facilitate hac imminuta. Amicorum consuetudines imprimis fovebat, quos aut absentes epistolis, aut præsentes colloquiis, omnique genere colebat officiorum. Sed inter hæc subito apoplexiæ ictu correptus est, qui morbus fuit Cordarianæ familiæ frequens. Convaluit tamen aliquantulum, Sacramentisque sumptis, nihil jam nisi mor-

tem sibi expectandam cognovit, quæ accidit pridie nonas Martias anni MDCCLXXXV. Elatus est in summo Urbis mœrore, tumulatusque in æde Barnabitarum, uti testamento jusserat, apposita inscriptione, quam ipsemet biduo ante confecerat.

H. S. E.
Iulius . Cæsar . Cordara
Ex . Comit. Calamandranæ
Oriundus . e . Nicia . Palear. Natus . Alexandriæ
Qui . Traductus . A . Pueritia . Romam . Ibi . Receptus
In . Societatem . Jesu . Annos . Plus . Quinquagenos
Vixit . In . Urbis . Luce . Cumque . Annales . Sui
Ordinis . Scriberet . Suppressa . Societate . Reversus
Ad . Suos . Ubi . Forte . Vitam . Hauserat . Ibi . Ultro
Vitam . Claudere . Statuit . Ac . Moriens . In . Aede
PP. Barnab. Pro . Sua . Singulari
In . Eum . Ordinem
Voluntate . Condi . Voluit

Obiit . Die . VI. Mense . Martio
Ann. MDCCLXXXV.
Aet. Suæ . Ann. LXXX . Mens . II . Dies XIX
Bene . Sit . Animæ . Ejus

53. Orationem in ejus funere habuit Carolus Eugenius Guaschius Academiæ nomine, cujus Præfecturam Sociorum suffragiis

ad se delatam plures jam annos Julius administraverat. Decreto etiam Decurionum Monumentum Illi ex marmore in publicis ædibus constitutum, inscriptione addita ejusdem Guaschii, quæ tanti Civis memoriam, Patriæque benevolentiam Posteris commendaret.

Julio . Caesari . Ant. F. Cordarae
Ex . Comit. Calamandranae
Ortu . Domicilio . Cooptatione . Alexandrino
Qui . in . Societatem . Iesu . Adscriptus
Potentiorum . Amicitiis . Et . Fama . Doctrinae
Romae . Diu . Claruit
Ob . Edita . Plurima . Ingenii . Monumenta
Scriptor . Habitus . Sui . Aevi . Nulli . Secundus
Abrogata . Inde . Societate
Alexandriae . Sedem . Fixit
Ibique . Senectam . degens . Minime . Otiosam
Immobilium . Academiam
Sua . Fecit . Præfectura . Celebriorem .
Optimates
Civi . Egregio . P.P.
Vixit . Ann. LXXX.. M. II. D. XIX.
Obiit . Prid. Non. Martii . A. R. S.
MDCCLXXXV.

Fuit Cordara statura corporis moderata, quæ potius in grandem vergeret, æquis-

simo membrorum consensu, quamquam assiduus labor, scriptioque frequens humeros illi curvos fecisset. Frons ampla, supercilium prolixum; nigri oculi supra modum micantes & vividi; nasus productus, quique ab recto nonnihil deflecteret; quod proclivitatem quamdam ad sales, & cynici aliquid demonstrabat. Imaginem vero mentis suis ipsemet scriptis fortius delineavit, & verius.

ILLUSTRIUM VIRORUM
DE JULII CÆSARIS CORDARÆ
SCRIPTIS
TESTIMONIA.

Etsi hoc in genere plura in medium afferri possunt, duo tantum brevitatis caussa seligimus, quæ omnium instar sint.

Bibliotèque des Sciences ec. Biblioteca delle Scienze e delle belle arti per li mesi di Gennajo, Febbrajo, Marzo. Tomo I. articolo 6. pagina 89. Parigi 1754. in 8.

Historia Societatis Jesu ec.

„ *La Società dei Gesuiti, sì ricca in Istorici particolari, ha di già esercitata la penna di quattro dotti del suo Corpo per scriverne la Storia generale ..... Al presente il P. Cordara esce il quinto incaricato a questa importante commissione, e se non vi abbisognasse altro, che eloquenza e zelo per formare un Istorico di primo rango, egli avrebbe ogni sorte di diritto a questo titolo. Il P. Giulio Ce-*

sare Cordara, originario di Monferrato, e Membro dell' Accademia degli Arcadi di Roma sotto il nome di Panemo Cissèo è la più bella penna che abbia l'Italia. *Egli scrive nella sua lingua materna con una purezza ed eleganza maravigliosa. Tutta la maestà e tutte le grazie della lingua latina gli sono familiari. Egli n' è padrone, o scriva in prosa, o componga in verso, però malgrado tutta la premura che si è presa di celarsi, si è creduto riconoscere la sua musa nelle famose Satire del preteso* Lucio Settano, *che fecero anni sono tanto rumore in Italia, e che il pubblico male informato attribuiva al P. Venturi Gesuita Sanese. Altri componimenti sul gusto del P. Cordara, i quali caratterizzavano il suo genio, ajutarono a indovinare il suo pennello. Forse egli stesso avrebbe confessata la sua opera, se non vi si fossero fatte, come dicono, delle aggiunte, che a lui non conveniva di adottare* (si allude ad alcune ridondanti note fatte dal Lagomarsini.) *Comunque sia di questi aneddoti, dei quali noi non parliamo qui, può bene ognuno comprendere, quanto il novello Istorico era degno della scelta, che la Società avea fatta di lui, e sino a qual segno era capace di sostenere l'impiego affidatogli ec.*".

CASTRUCIUS BONAMICUS

Julio Cæsari Cordaræ Soc. Jesu

S. P. D.

„ *Jampridem ego dedissem ad te literas, ex quibus facile cognovisses, quam grata mihi fuerit* Historiæ tuæ *elegantissimæ crebro a me regustata lectio, quamque in eo te amaverim, quod eam ad me subito perferri benigne curasses: nisi valetudine medicisque impeditus, qui me totum ab omni scriptione avocant, & quotidie melius expectans rem distulissem in illud tempus, quo paulo possem diligentius attendere, quod scriberem; cum præsertim intelligerem ad quem virum scriberem; sed, cum nihil morbus remitteret, & ego desiderio jam plane conficerer studium tibi meum declarandi, silere diutius non potui, & malui literarum abs te mearum inscitiam reprehendi, quam desiderari officium. Quamquam pro tua singulari humanitate ignosces valetudini, quæ stuporem auxit ingenii, eademque subsidium ademit diligentiæ; neque respues omnino hanc meam sedulitatem saltem, quæ interdum, quo minus habet artis atque industriæ, eo gratior apparet nativis inusta notis*

veritatis. Utcumque igitur maximas tibi certe gratias ago, qui Historiam Societatis vestræ *prudenter abs te, ornateque conscriptam mihi miseris, causaque fueris summæ voluptatis. Nam quoties eam lego (lego autem quam sæpissime) toties cum Græcis illis, Romanisque historicis mihi videor colloqui, qui bene sentiendi, beneque scribendi magistri sunt optimi & soli. Ita enim sentio, fremant licet, qui recentiores nobis nescio quos obtrudunt non improbandos, si veteres imitentur, sin minus, plane contemnendos: His tamen præclaris veterum contemptoribus, neglecta Latinorum, Græcorumque librorum severitate, mali scriptores, quasi herba irrigua, nostra ætate succreverunt uberrime: Qui solidam doctrinam neque habent ipsi, neque pati videntur posse alios habere, delapsique ad delicatas quasdam ineptias optimarum artium disciplinam, quæ veterum fere omnis imitatione continetur, aut irrident, aut negligunt. Qua de causa factum est, ut Historia quoque, maximo humanæ prudentiæ detrimento, vel deseratur omnino nostris temporibus, vel ita tractetur, ut res magnæ memoriaque dignæ plebeja quadam scribendi ratione obterantur magis, quam illustrentur. Quo mihi visa est* Historia tua *admirabilior, quæ, cum res pertra-*

ctet sanctissimas illas quidem, sed tamen tenues, non bella narret, non prælia, quæ meis historiis majorem quodammodo sonum vocis addere consueverunt, tantis tamen nitet ingenii atque elocutionis luminibus, nihil ut fieri possit magnificentius. Adeo nihil est tam humile, quod non possit docti hominis oratione splendescere: Ea certe in eo libro, quem ad me misisti, sententiarum vis, is inest splendor verborum, ut si Cicero scripsisset Historiam, non fuisse aliter scripturum putem. Quapropter gratulor tibi, qui maximi *historici nomen non vulgare consecutus es; mihi vero gaudeo, cui* Historiæ tuæ *lectio jucundissima est, & salutarem spero futuram; siquidem, ut ait Hippocrates, animi voluptas ad corporis valetudinem plurimum confert. Ut hac igitur de re tibi gratias agerem, ea mihi causa scribendi fuit. Altera præterea accessit causa, quod* Vincentius *frater tuæ famæ doctrinæ commotus comparari sibi aditum ad tuam amicitiam percupit, in eoque meas apud te litteras aliquod habituras pondus existimat. Is Juri Civili dat operam Romæ, spemque mihi affert aliquam ingenii & litteraturæ vel ea re in primis, quod tui laudator est mirificus. Eum igitur tanto studio tibi commendo, quanto Fratrem a Fratre com-*

mendari debere intelligis: eoque id libentius facio, quod & tuæ scribens humanitati confido, & amicitiam doctissimi viri valde fratri decoram, & non inutilem futuram judico. Vale.

Loci opportunitate ducti subjiciendam censemus Cordaræ epistolam, qua amico respondet suo, qui adeo luculentum de sua Societatis Jesu historia judicium tulerat superiori epistola.

JULIUS CORDARA

SOCIETATIS JESU

CASTRUCIO BONAMICO

S. P. D.

Lætitiam quam ex tuis Litteris cæpi maximam, corrupit ex parte mæror de tua valetudine, qua, cum te uti commodissima multum intersit omnis litterariæ Reipublicæ, dolendum plane mihi, ac nostris Litteris est eam in præsentia affectam, & diuturno, uti narras, morbo implicitam inveniri. Id si excipias tantum, quod quidem ego accepi molestissime, nihil est in tuis Litteris, quod me majorem in modum non delectaverit. Primo quod meam historiam, munus oppido exile, tibique multis nominibus debitum, grato exceperis animo, id tanto accidit mihi jucundius, quanto minus sperandum videbatur, eaque in re perspexi eximiam humanitatem tuam. Historiam deinde eandem quod legeris, miratus sum vehementer. Eam ego sane

cum scriberem lectorem speravi nullum nisi forte otiosum aliquem Monachum, cui multum vacui temporis relinqueretur. Nam quid demum invenias in annalibus Religiosæ Familiæ, quod aliqua cum jucunditate distinere virum possit gravem curarumque multarum? Nihil grande, nihil novum, perparum ad Rempublicam pertinens. Mera tractantur pietatis officia, eædemque usque usque redeunt res, ut progredi non possis duas tresve paginas sine satietate. Adde similitudinem verborum atque dictionis, quam quidem variare bis, iterum, tertio licet fortasse, at centies milliesve omnino non licet. Cum ea præsertim scribantur, quæ prisci ævi Scriptores numquam attigerunt. Istis de causis miror sane tibi homini litteris pariter, atque armis occupatissimo aut tantum fuisse otii, ut posses meam historiam percurrere, aut tantum patientiæ ut velles: neque possum in eo tuam erga me voluntatem egregiam non agnoscere, quæ sola potuit mollire lectionis molestiam, atque aliquo etiam sensu voluptatis aspergere. Parum tamen est quod legeris. Eam præterea tot cumulas laudibus, ut nisi pro certo haberem te in hac re multum amicitiæ tribuere, gauderem sane virum talem, tantique Scriptorem nominis de meo hoc volumine tam magnifice sentire, ac loqui, nec scio an non etiam tuo justo judicio in superbiam efferrer. Nam quid evenire mihi pulchrius poterat, quam laudari ab eo, cujus

judicium aut unice, aut præcipue reformidabam? Quid mallem quam probari ab iis, qui soli de istis rebus recte judicant? Cæterum ut dicam aperte quod sentio, etsi paulo liberaliorem fuisse te puto in ornando me, non proinde arbitror virum tam ingenuum mihi turpiter assentari voluisse. Ut enim illud amicitiæ interdum sit, hoc certe contra amicitiam, veritatemque esset. Unum ergo colligo ex tuis litteris inesse meæ historiæ tolerabilem dignitatem, cujus causa laudari non immerito possit, idque unum satis mihi superque est, ut neque me pœniteat suscepti laboris, neque ab eo deinceps prosequendo deterrear. Meas quippe vires ex vero existimans, ut videor, mihi summam reprehensionem metuere non debere, ita ad summam laudem adspirare non audeo. Venio nunc ad extremam tuam Epistolam, in qua etiam est de quo gratias tibi ingentes agam, ac porro habeam. Vincentium sane Fratrem tuum, quod per istam occasionem ad me miseris, non magis ejus occurristi desiderio, quam meo. Eum quidem certe ego de facie agnoscere vehementer cupiebam, & voluptas mihi fuit agnoscere Juvenem præstanti animo, litteris non leviter tinctum, & fraterni æmulantem ingenii. Quædam a me petiit, in quo putat meam illi operam prodesse non nihil posse. Ego me non operæ, non officiis parciturum recepi, idque cum ipsius causa, tum potissimum tua; idem nunc polliceor tibi, cui

& multum debere me sentio, & aliqua re gratificari summopere velim. Ut deinde succedat res, optare magis possum, quam promittere. Habet certe ipsa nonnihil difficultatis, & in arbitrio cujuspiam ex potentioribus posita est, apud quem minus fortasse valeo, quam ipse judicat. Vale.

Romæ VI. Idus Novembris 1751.

CAROLI ODOARDI STUARDII

WALLIÆ PRINCIPIS

EXPEDITIO IN SCOTIAM

LIBRIS IV.

COMPREHENSA.

LECTORI CANDIDO.

FRANCISCUS CANCELLERIUS.

Opus ego in lucem edo non meum, quod meum alioqui appellare possum jure donationis. Atque ut intelligas, amice lector, quo pacto istud ad me pervenerit, quibusque ego rationibus edendum existimaverim, hæc paucis habeto. Scriptor istorum Commentariorum, vir æque modestus ac doctus, quicum est mihi intima necessitudo, eos concinnaverat quondam, habebatque a longo tempore apud se repositos, adeo occulte, ut neque ego, neque alius quisquam mortalium sciret. Novissime, dum una sumus, atque alios ex aliis sermones ducimus, incidit forte mentio de Stuardio Principe, de quo tandiu nihil resciri certo posset. Quærenti autem mihi ubinam gentium diversaretur, qui viveret, & an viveret? Hæc omnia, inquit ille, sunt in obscuro. Illud certum, in meis adversariis vivere egregium Principem, ac porro victurum, atque ita quidem, ut semper lateat: Ad ea mirari ego quid ita esset: Tum ille apertius indicare de scripto quodam suo, quo olim celeberrimam Principis expeditionem esset executus; quod a se factum ajebat, magis fallendi otii, aut exercendi styli causa, quam ut vellet opus privato studio eleboratum publici juris fieri. Rogavi per amicitiam, ut ejus legendi copiam mihi faceret. Ægre inducebat animum: Induxit tamen ea le-

ge, ut quantocius redhiberem, quod me facturum recepi. Jam non est ut referam quam cupide, quantaque cum voluptate opus totum voraverim. Placuit sane mihi majorem in modum, tum ob eloquii nitorem eximium, tum quod scripto comprehensas viderem res scitu dignissimas, & ad memoriam posteritatis insignes. Reddidi cum fide scriptum amico, at simul questus nonnihil sum, quod rem talem me tamdiu celasset, ac multa subjeci, quamobrem opus egregium non videretur ultra in turpi situ ac tenebris relinquendum. Ille metum excusabat suum, cum diceret, valde vereri se hominum judicia, hac præsertim ætate, cum fastidiosi plerumque sunt homines, nihilque in hoc genere intactum, nihil non acri censura notatum dimittere consueverunt. Se quidem de Stuardio scripsisse nihil, quod non ante scriptum ab aliis, vulgatumque invenerit, & quædam non tam de suo scripsisse, quam ex Italicis, Gallicisque monumentis descripsisse, ac latine reddidisse. At dubiam sibi esse monumentorum fidem, quibus nullum auctoris nomen esset præfixum: Neque proinde se de veritate eorum, quæ traderentur, certo scire, neque pro omnibus vadem sponsoremque esse velle. Hic ego, tametsi hominis prudentiam mecum ipse tacitus collaudabam, hortari nihilominus eum ut auderet, neque ob vanum obloquentium metum illustri monumento fraudaret istorum temporum historiam. Nam quam multa sunt, ajebam, hujus generis scripta vitio eodem laborantia, haud satis explorata scilicet veritate factorum? Carpuntur illa quidem a multis, at laudantur ab aliis, leguntur ab omnibus; nec si quid falsum admixtum vero est,

idcirco sua scriptoribus laus, aut sua legentibus utilitas deperit. Condonantur facile humanæ infirmitati errores, qui ex ignoratione veri, non ex animi pravitate videantur profecti; præsertim quod certis in rebus veritatem ipsam attingere, & ad liquidum perspicere, difficile admodum, ac desperationi proximum est: Haud facile invenias factum paulo grandius, in quo exponendo scriptores omnes consentiant. Narrantur eadem aliter ab aliis, ut quisque audivit scilicet, & interdum ut sua quemque affecerunt studia, ac privatæ cupiditates. Inde eodem de argumento historias circumferri videas plane diversas, sibique invicem oppositas, quæ tamen singulæ apud æquos rerum æstimatores & pretium & laudem habent, quod sciant Scriptorem unumquemque veritatem viis quibus potuit exquisiisse, nec diligentiæ in ea investiganda pepercisse. Ad rem præsentem quod attinet, nihil, addidi, de Stuardio Principe a te traditum video, quod non ante actis publicis, multorum linguis ac literis, fama ipsa traditum pervulgatumque fuerit. Siquid nihilominus falsi subest, scribat alius licebit, & emendatiorem cudat historiam. Haud parum operæ pretium erit, si idipsum tibi debeat Respublica literaria, modo ne facta præclara omnino in oblivione sint. Hæc ego perorabam, & valuit ad extremum oratio apud hominem docilis ac sequacis ingenii. Quamvis enim nullis sibi rationibus persuaderi sit passus, ut opus ipse suum ederet, illud tamen dono dedit mihi, utque de eo pro arbitratu statuerem prolixe permisit, hac tantum conditione imposita, ut siquidem vulgandum censerem, Scriptoris nomen omnino reticerem, cujus rei justas

sibi esse causas affirmabat. Habes igitur, amice lector, causam, cum ego opus non meum typis edendum susceperim, unaque habes rationes consilii mei penitus explicatas, quibus quod bene de te mereri studuerim, id velim æqui bonique facias. Vale.

LIBER PRIMUS.

Flagrante Europa eo bello, quo bello de hæreditate Caroli VI Cæsaris certabatur, cunctisque prope regibus, vel sua vel sociorum causa, voluntate vel necessitate, ferali dissidio implicitis, inter actores magnæ tragediæ principes ostentat se ex improviso Odoardus Stuardius, Jacobi III magnæ Britanniæ Regis filius natu major, cujus ego res una expeditione gestas brevi commentario complector. Ac principio quidem inermis in theatrum progreditur, juvenili ferocia magis quam prudenti in speciem consilio, ausus discrimini se committere. Spectatores in exitum rei intenti mirantur audaciam temeritatemque ejus, qui nullo apparatu, nullis copiis, ac præsidio admodum nullo sustinere molem belli contra potentissimum hostem velit. At idem mox, collectis industria viribus, novam aperit scenam, cujus aspectu Europa hæret omnis admiratione defixa. Validis succinctus legionibus regna invadit jure sanguinis sibi debita, arces opere ac natura firmas expugnat, prælia facit, victoriis inclarescit, ea demum felicitate rem gerit, ut potiturus majorum

suorum imperio videretur, nisi præclaris cæptis fortuna defuisset; id cæteroqui assecutus, ut, sin minus sibi, amicis multum prodesset suis, magnamque Europæ universæ rerum, ac consiliorum commutationem afferret.

Hæc, tametsi fama pervulgata, visum litteris tradere, tum ut sua virtuti laus tribuatur, tum ut ad memoriam posteritatis transmittantur facta scitu dignissima, quorum testis & laudatrix ætas hæc nostra fuit; eoque facio libentius, quod princeps magnanimus magis quam felix, subita rerum conversione dejectus profligatusque, secundissimis initiis longe dissimilem habuit exitum, nec alium ad extremum cepit fructum laboris, nisi hanc ipsam, quæ maxime litteris continetur, opinionem virtutis, ac nominis immortalitatem: lenimentum amissi regni miserum sane, sed tamen debitum. Moveor etiam ad scribendum ea causa, quod facinora quantumvis illustria, quæ tamen successu caruerint, ex hominum memoria facile difluunt, nisi eadem fuerint accurato, ac proprio volumine comprehensa; seu quod ea scriptores rerum pubblicarum attingere indiligentius solent, seu quod minus attenduntur res, quarum nulla extent vestigia, seu demum vitio humanii ingenii, cujus proprium est solam mirari, atque in pretio habere felicitatem. Adde quod incepta hujus generis improspera multi e vulgo temere reprehendunt, consilia ex eventu extimare soliti. Ea quidem certe

plerique malignius laudant, & parcius; quasi vero quidquam desit ad laudem, cum sola deest fallacissima rerum fortuna. Sane is, de quo scribimus, Odoardus, si susceptam expeditionem, uti fortiter gessit, ita etiam feliciter confecisset, hœros haberetur opinione omnium summus, omniumque gentium linguis ac litteris, ut ævi sui miraculum celebraretur: Nunc vero plenum cladis, dejectum, profugum, soli pro merito admirantur ii, qui de rebus recte existimantes, probe inteligunt, gloriam virtute partam sortis errore non aboleri, nec quidquam deesse ad snmmam laudem, nisi virtus & consilium desit. Ad me quod attinet, si regnum Odoardus, quod certe promeruit, re esset adeptus, regnaretque nunc in avito solio Londini, feliciorem ego illum ducerem, non fortiorem, prudentioremve, non ea commendatione, quæ in virtute posita est, digniorem. Deesset immo mihi ex ejus laudibus fere præcipua, tolerantia malorum invicta, & in adversis rebus constantia admirabilis, quæ laus non cum amicis communicanda, non inter milites dividenda, sed tota ipsius ac propria est, mihique materiam scribendi amplissimam dabit. Jam ergo narrationem ingredi or admirandam initio, progressu lætam ac variam, exitu luctuosam, Odoardo, ejusque nomini quæcumque inciderint, gloriosissimam. Ac primum omnium ad amoliendam temeritatis notam, si qua forte ab rerum imperitis egre-

gio principi inusta sit, negotii totius causas rationesque a suis initiis evolvendas suscipio.

Odoardus, cognomento principis Walliæ, ita a pueritia fuerat institutus, ut Regni potiundi neque cupidinem, neque spem unquam abjiceret. Hoc cum esset animo adolescens, cunctis regnandi artibus animum excolebat. Inerant ei a natura dotes eximiæ, quæcumque cadere in principem ornatissimum possunt. Forma supra communem modum elegans, & venusta, dignitate tamen quadam gravitateque mixta, quæ deceret principem: Indoles excelsa, liberalis, vivida. Mens exporrecta, & ingentium curarum æque capax ac patiens. Corpus ipsum agile, robustum, succi sanguinisque plenum. Addebat ipse industriam, nullam prætermittens earum rerum, quæ sunt in regali fastigio spectatissimæ. Miram in agendo comitatem facilitatemque cerneres, quam hilaritas oris perpetua, & lepor sermonis commendabat. Sed quantum abhorrebat a fastu superbiaque, tantum cavebat ne qua levitate se infra conditionem suam demitteret. Ab otio desidiaque alienissimus erat, maxime vero ab voluptatum illecebris, quæ Romæ plures juveni ac principi objiciebantur. Multiplici linguarum scientia florebat, nec italice solum, sed latine, anglice, gallice satis commode loquebatur. Multa etiam, ut in tenera ætate, rerum publicarum ac memoriæ veteris intelligentia, quam libris lectitandis comparaverat.

Ad militarem vitam ferebatur incredibili ardore, ut ad palæstram virtutis & gloriæ. Et quamquam in urbe nihil, neque ad commodum, neque ad splendorem ac luxum desideraret; atque a populo romano, ita uti regium principem decet, coleretur, hanc tamen sedem fastidiebat ea causa, quod Romæ, ut in urbe sacerdotali, pacis tantum artes vigerent, ipse autem cogeretur interea partem vitæ meliorem per desidiam traducere, atque in turpi otio languescere. Belli ut ferre laborem posset, corpus assidua exercitatione firmabat, ac durabat quodammodo. Ejus plerumque ludi decursiones equorum, ac venatio; non ea tamen venatio mollior, quæ visco cassibusve fit, sed laboriosior illa, quæ decutiendis ignito missili avibus, aut feris grandioribus exagitandis gaudet, in qua sic excellebat, nullus ut illum ferme ictus falleret. Hæc ejus voluptas ex omnibus sapidissima, quam ad totum diem identidem protrahebat, non æstu, non imbri, non ulla cœli inclementia deterritus, quin nemora saltusque invios pererraret. Sole occiduo domum se recipiebat, lætus ille quidem opima præda, at fame enectus, sole perustus, aut frigore. Ita ad labores bellicos proludebat; quibus cum intelligeret suppetere sibi animum; congruere ætatem ac vires, unum deesse querebatur, ut in schola Martis, quæ sola duceret ad regnandum via, paululum erudiretur. Nam delineare arcem calamo, ac de va-

riis militiæ legibus apte disserere; otiosum putabat, nisi hæc scientia usu ipso atque experimento expoliretur. Instabat proinde crebris apud patrem precibus, ne ultra se innertem in urbe attineret. Mitteret se, ubi posset militarem artem experientia condiscere. Se, in spem regni natum educatumque, militem prius esse oportere, deinde regem. Non aliis ad regnum gradibus deveniri posse. Generosum adolescentis ardorem tacite laudabat Jacobus pater, tamen intempestivos impetus leniter reprimebat, serviendum tempori ac necessitati dictitans. Jmmo vero obnitendum contra, reponebat ille, fortunæ injuriam virtute reparandam.

Placuit nonnihil ejus ingenio indulgere per occasionem belli Neapolitani, quod anno MDCCXXXIV. ab Hispanis gerebatur contra austriacos. Indulgendi causa præsertim fuit, quod, proclinatis jam rebus Germanorum, ac toto fere regno in potestatem Caroli Hispaniarum principis redacto, ejus belli reliquias persequebatur Bervicii dux, magni nominis imperator e Stuardorum familia. Cum ergo Bervicius exercitum contraxisset prope Cajetam, magnoque molimine pararet eam arcem natura loci atque opere munitissimam oppugnare, Odoardo permissum est ut ad Hispanorum castra contenderet, oppugnationem operosissimam inspecturus. Provolavit ille ad locum haud secus alacer, quam si votorum summam esset consecutus. Tum ad omnia

disciplinæ militaris officia ita composuit se, ut adolescens annorum quindecim grandibus natu Ducibus, tiro Veteranis exemplo esset. Erant totius exercitus oculi in unum conjecti Walliæ Principem. Ne quid noceret ei, nequid incommodaret omnes metuebant. Ipse obequitare castra, cuniculos, aggerem, machinas, vineas, quæcumque ad obsidionem facerent curiosius inspicere, solem ac pulverem constanter ferre. Idem instar militis voluntarii primas laboris & periculi partes sumere, nulli officio deesse. Arcem terra marique appetitam pugnacissime defendebant Germani, tela in hostes continenter adigebant, sæpe ad disturbanda opera eruptionem faciebant. Odoardus, ubi denrior accideret Missilium grando, illuc accurrere; quoties præsidiarii erumperent, prodire in aciem primus; voce, exemplo commilitones incendere, belli quasi fax atque anima. Quæ tametsi Bervicius, cui concredita ejus vita, minus probaret, utque audacter magis quam prudenter suscepta coargueret, mirabatur tamen, ac cæteris ad incitamentum proponebat. Compulsis denique ad deditionem Austriacis, primus vallum supervadere conspectus est Odoardus, primus inferre pedem in arcem, non per portas, sed per dirutos & hiantes muros, perque aggestos acervos lapidum voluit, plaudente milite, ac tantam in Regio adolescente virtutem admirante. Hoc militiæ specimen primum dedit, ex quo licuit augurari, quæ da-

turus esset documenta virtutis, si quando bellum administraret ipse, neque vero discendi, sed vincendi regnandique causa stringeret ferrum. Post hæc in urbem regressus, armorum desiderio vehementius exæstuabat, neque interim vetera sua studia intermittebat.

Accidit post breves inducias ut denuo vocarentur ad arma Principes, hinc Regina Hungariæ VI Caroli patris hæreditatem tuente, inde multis petitioribus ad eam dilacerandam coortis. Eo bello cum Europæ pars maxima deflagraret, Odoardus majora animo volutare cœpit, de regno cogitare, hoc suum tempus, hanc occasionem dicere. Movebatur præsertim facultate, quæ nunc daretur commodissima, gerendæ rei. Nam cum Reginæ Hungariæ apertius adversaretur Galliæ Rex, eam contra Angli tuerentur, rumorque increbresceret, quamprimum Anglos cum Austriacis societatem armorum coituros, exercitumque auxiliarem in Belgium transducturos; si avitum regnum hoc tempore reposceret, non defutura sibi Gallorum auxilia confidebat. Ea vero quantulacumque essent, distractis externo bello Angliæ viribus, nequaquam difficile futurum sibi ope veterum amicorum, & clientium, qui multi in visceribus regni censerentur, regno ipso potiri arbitrabatur. Fiduciam augebat, quod intelligeret, non nihil turbarum factionumque esse intra Angliam, beneque multos Georgii Brunsvicensis impe-

rium aversari palam, ac carpere, quibus magis ad quem deficerent, quam deficiendi voluntas deesset. His de causis Jacobum patrem rogabat, sibi ut viam aliquam expediret testandæ virtutis. Nam quid ultra expectandum? Aut quod longioris cunctationis pretium, nisi ut mora flaccescereut amicorum studia, inimicorum contra firmarentur possessione vires, atque interim occasio, quæ nunc se daret pulcherrima, præteriret, nunquam fortassis in posterum reditura? In tanto Europæ motu ac tumultu, nullum principum indormire rebus suis, minime vero omnium debere Jacobum regem, jam tot annos regno spoliatum, atque exulem; nisi forte inani regis nomine & honore contentus, de re ipsa parum laboraret. Se prompto esse animo, neque recusaturum pro gloria ac dignitate regis ac parentis sui, & pro communi causa familiæ, cuivis discrimini caput objicere. Audendum aliquando tandem aliquid, periculum faciendum. Agi de regno, pro quo nihil nimis arduum videri debeat. Quod alias male evenerit, posse nunc feliciter evenire; Et etiamsi res non succedat, haud parvum operæ pretium fore tentasse tantum, atque ita Anglis in mentem revocasse, existere adhuc familiam regiam stuardorum, eamque nec juri suo cedere, nec rebus suis penitus desperare. Vera dici sentiebat Jacobus rex, tamen ætate atque usu rerum edoctus quantum in grandibus cœptis aleæ sit, nihil te-

mere suscipiendum statuebat, & negotium ampliabat. Odoardus contra moras omnes impotenter ferebat.

Commodum ea tempestate adscitus fuerat in consilium intimius regis Galliæ Petrus Guerrinus de Tencinio cardinalis, vir industrius, Stuardiæque familiæ studiosissimus, qui cum olim designatione Jacobi regis in collegium cardinalium cooptatus fuisset, hoc nomine debere se illi plurimum profitebatur, nihil optabat avidius, quam ut vicem rependere aliquam posset principi de se optime merito. Ac forte nuper, Romæ cum esset, & negotia legationis gallicæ administraret, non modo Odoardum frequentaverat ipse assidue, verum etiam in gratiam familiaritatemque ejus induxerat Tencinium equitem, fratris sui filium, acerrimi virum ingenii, qui erat ordinis hierosolimitani legatus apud pontificem maximum constitutus. Tencinius ergo Cardinalis, seu quod Odoardi desiderium per se perspexerat, sive occultis Tencini equitis litteris incitatus, statim atque in illud, quod dixi, regis consilium receptus est, hoc primum efficiendum sibi statuit, ut Odoardus in Galliam evocaretur, & ad regnum recuperandum subsidiis militum atque pecuniæ juvaretur. Ita porro evocandum censebat, ut Jacobo regi spatium non relinqueretur consultandi super ea re diutius, morasque nectendi. Nam neque ipse suopte ingenio abhorrebat a properantia, magnis interdum re-

bus conficiendis utili, & quo celerius id perfecisset, eo se magis gratificaturum Odoardo, fervidissimæ indolis principi, sentiebat. Quia vero corrumpi negotium poterat, si vel uni mortalium suboluisset, rem non benevole minus quam caute administrandam putans, in occasionem tacitus imminebat, quæ quidem ultro oblata quærenti est in hunc modum.

Sancita inter Hungariæ Reginam, ac Georgium Brunsvicensem Angliæ Regem fœdere, deductisque ad Schaldin fluvium magnis utriusque gentis copiis, cum & nova Anglorum auxilia in Belgium deportanda propediem essent, & Batavi, qui adhuc in neutris partibus fuerant, consentire pariter cum Austriacis, & quamprimum consociaturi cum iis arma dicerentur; agebatur in interiore consilio regis Galliæ, si quo distrahi modo tantæ hostium vires, ac dissociari possent. Apparebat namque, nisi concrescens turbo mature dissiparetur, gallicis exercitibus minus recte futurum post hac in Belgio, cujus conficiendæ provinciæ concepta spes erat. Hoc loco Tencinius, posse enim vero dividi hostium vires, non alio tamen modo posse facilius dixit, quam si Jacobus III Angliæ Rex, qui jamdiu exul a suis regnis Romæ degeret, in sociale bellum traheretur, & ad regnum recuperandum juvaretur. Filium illi esse virtutis egregiæ, regni, gloriæque cupientissimum, qui bellum administrare commode posset. Is si cum justa militum manu in Scotiam se infer-

ret, & aviti patrimonii possessionem armis reposceret, Scotiam continuo omnem in armis futuram, & magnam etiam Angliæ partem transitionem facturam. Esse nimirum Scotos ad rebellandum pronissimos, cum aliis de causis, tum præsertim veteri odio atque æmulatione cum Anglis, quos sub Georgio Rege longe sibi antepositos videant, ac rerum suarum arbitros pati cogantur. Eosdem Stuardorum totos esse, non tam superiorum regum memoria, quos semper optimos æquissimosque habuerint, quam Jacobi nominatim caritate, quem susceperint olim incredibili voluntate ac studio, regemque salutaverint. Maximo autem opere auctum iri studium propensionemque eorum, si præsentem & armatum viderint Jacobi filium Odoardum, principem excellenti virtute, cunctisque corporis animique dotibus ornatissimum. Præterea ex Anglis bene multos, sive externi imperii fastidio ac satietate, sive innato rerum novarum studio, respectare ad Stuardos, ac suppænitere jam plerosque; quod regiam familiam, regni hæredem legitimam, nullamque noxam commeritam, indigne projecerint, ac tamdiu exulare sint passi. Catholicos quidem certe omnes, qui multi in utroque regno essent, nihil malle quam catholico subesse principi, ac suo; qui si daretur, sublevarentur ipsi plurimum, & ab intolerandis oneribus, quibus modo oppressi inveniantur, respirarent. His aliisque de causis minime esse dubitandum,

quin sola stuardiani belli denunciatione res Anglorum publica multum perturbaretur, Angli vero milites cogerentur, relicto Belgio, in suam insulam celeriter renavigare, ac res suas domesticas, quæ alienis potiores unicuique sunt, curare. Ita nihil obstiturum gallicis copiis, quominus victoriæ cursum prosequerentur in Belgio, ejusque provinciæ arces impune occuparent. Ita ipsos fortasse Batavos continendos, ne quid contra Galliam hostile molirentur. Quod si fortuna cœptis aspiraret in tantum, ut stuardis denuo rerum potirentur in Anglia, familiam nobilissimam, apprime catholicam, & Galliæ semper addictam, in suum regnum restituisse, eamque novo ac tam insigni beneficio demeruisse, id enimvero Ludovico regi christianissimo pulchrum, ac decursu temporis utile etiam fore.

Secundissima approbatione accepta est in concilio Tencinii oratio. Rex, qui sinceram amicitiam cum Jacobo coleret, nec diffiteretur, fortunam ejus afflictam ab se præcipue erigi oportere, consilium eo collaudavit magis, quod eodem tempore sibi facultas daretur utilitati suæ serviendi, tum etiam gloriæ, atque amicitiæ. Decernitur ergo ut in belli societatem vocetur Jacobus eo nomine III: Angliæ rex: Ut ejus filius Odoardus Roma evocetur in Galliam: ut ad invadendam Scotiam naves & arma comparentur: In primis vero ut hæc omnia festinatione summa, ac nullo strepitu administrentur.

Tota enim rei summa in celeritate ac silentio posita videbatur.

Hæc in aula Versaliensi decreta Decembri mense ineunte, anno MDCCXXXXIII. Paulo post dimidium ejusdem mensis, Romam advenere Angli duo nobiles, ex Gallia profecti eo consilio, ut per speciem visendæ advenarum more Urbis, negotium de Odoardi expeditione conficerent, ipsum vero Odoardum nominatim magnis pollicitationibus, ac spe ingenti proposita, ad maturandam profectionem pellicerent. Alter publicis ad Jacobum litteris, quæ tradi regiis legatis fidei conciliandæ causa solent, erat instructus, & gallici internuncii munere occulte fungebatur. Alter habebat in mandatis, ut Odoardum ipsum in itinere assectaretur, eaque propter secum ferebat literas liberi commeatus anglicas, quæ ementito nomine iter facturo, si quo casu interciperetur, præsidio essent. Non est ut referam quo loco, quo tempore, quanta dissimulatione peracta Legatio fuerit, ne quid manaret in pubblicum. Quod ad rem pertinet, admissus in colloquium a Jacobo rege, coram Odoardo filio, Tencinioque ordinis hierosolimitani legato, gallicus internuncius, expedita omnia, ac factu facillima demonstrabat. Nihil prope militum esse relictum in Anglia, omni militiæ robore in Belgium devecto. Multos inveniri in Scotia ex primoribus, qui sub ipsum Odoardi adventum raptim arma sumerent, & magna clientum agmina

ad ejus signa deducerent. Nihil negotii fore Regnum imparatum occupare, quo tempore defensores adessent nulli, amici fautoresque plures, hique optime animati. Naves, commeatus, arma abs Gallia, pecuniam ab Hispania suffectum iri. Adornari jam in portu Brestensi Classem validissimam deportando in Scotiam Principi, nihil tale adhuc suspicante Aula Londinensi. At celeritate opus esse. Corrumpi facile posse occasionem mora: Sin celeritas adhiberetur, omnia feliciter eventura. Hæc ille prolixe loquebatur. Eadem jussu patrui Teucinius Eques suadebat.

Atque his movebatur sane Jacobus Rex pro rei gravitate plurimum, neque tam sua, quam liberorum causa, quos Regno natos relinquere in privata fortuna, atque adeo in tristi exilio pigebat. Nam sibi quidem facilem Regni jacturam dicebat ea ætate, quæ sensim vergeret, atque eo vitæ instituto, quod a curis ac strepitu maxime abhorreret, quum præsertim nihil Regiæ dignitatis deesse sibi intelligeret Romæ, præter incommoda & curas. Sed quamquam ita esset, eventus belli incertos extimescebat, rem talem videri sibi satis maturam negabat. De subsidiis, quæ ad belli usum essent parata, de numero militum, ac pecuniarum, aliisque conditionibus doceri postulabat uberius, atque distinctius. Rebus ancipitibus committere vitam Filii, qui spes Regiæ domus, & prima Patris voluptas esset, nefas putabat. Ut minus

festinaret faciebat magnitudo ipsa promissorum, quæ, ut ex fide optima viderentur profecta, re præstari haud facile posse sentiebat. Principes, ut amicissimi sint, cogi interdum necessitati magis, quam amicitiæ obtemperare. Quæ factu facillima videantur in pacato consiliantium congressu, ea sæpe in ipso discrimine difficillima inveniri. Componendum aliquando tandem esse bellum, quod nunc tanta contentione inter Principes gereretur. Quis vero quales pacis conditiones futuræ sint, præsagire certo queat? Quid si Rex Galliæ pacisci cogatur conditionibus magis necessariis, quam honestis? Summos quoque ac potentissimos Reges variam experiri in longiore bello fortunam, atque ita demum solere inter se de concordia transigere, ut qui legem imponat ex una parte, accipiat ex altera, ac suis quisque rationibus prius consulat, deinde amicorum. In ejusmodi transactionibus, non tam jura partium valere, quam vires. Sæpe vincere qui propior exitio fuerit; sæpe qui melior causa sit, eum postremo loco ac numero haberi. Hæc se, non alienis tantum exemplis, sed proprio etiam experimento didicisse, ac plus nimio habere comperta.

Ita loquentem tacitus respectabat Odoardus. Sed is vultu moeror, ea frontis contractio, ut plane videretur dictis nullo modo acquiescere. Quod cum Rex animadverteret, alium repente sermonem exorsus: Cæterum,

inquit, in hac re non tam meum, quam Principis negotium agitur, de quo proinde neminem præter ipsum statuere magis decet. Ad me quod attinet, satis ego laborum, ac vicissitudinum, cum per ætatem ac vires libuit, subii. Nunc annis gravem, angoribus fatiscentem, de sempiterno magis, quam de caduco fluxoque Regno cogitare fas est. Ætas illi rebus & gerendis, & considerandis idonea; Ipse quod visum fuerit statuat. Rem ego totam ipsius arbitrio permitto; nec enim videri velim oblatum beneficium per socordiam respuisse, neque committam ut ulla me dies ignavum coarguere, aut parum de familia mea sollicitum possit. Unum oro, ut quidquid ipse consilii ceperit, bene ac feliciter vertat. His dictis, innuit Filio, ut quid ipse sentiat libere aperteque pronunciet.

Odoardus, vultu ad lætitiam explicato, breviter sententiam peregit in hæc verba. Si de alia qualibet re ageretur, quam de Regno, de gloria, ac de tua Rex dignitate, equidem difficultate operis, quod in deliberationem adducitur, non mediocriter commoverer, nec ulla fortasse res tanti apud me esset, ut ejus causa divelli ab amantissimo Patre, ejusque carere aspectu, quo nihil mihi in hac vita jucundius, vellem. Sed quando eæ mihi proponuntur res, quas & voce, & exemplo tuo didici rebus cæteris, atque ipsi adeo vitæ anteferre, quid istam demorari expeditionem debeat, plane non video. Opus aggredior plenum

laboris, atque periculi, Sit ita sane. At his itineribus itur ad gloriam. Belli incertus est exitus; at certa gloria, at magna spes. Quid vero sperandum, nisi aliquid audeas? Cave tamen putes, me inter virtutem ac temeritatem nihil ponere, eoque esse animo, ut periculis objicere caput velim, rebus non antea exploratis. Non id agitur nunc, ut bellum in Scotia suscipiam, sed tantum ut proficiscar in Galliam. Ibi, ut in loco proximiore, belli consilia agitabuntur, quod equidem non suscipiam, nisi aliquanto plus spei ostendatur, quam periculi. Cum ita sim comparatus, quod mihi metuas nihil est, quod mihi tibique gratuleris, longe plurimum: Mihi quidem, cui licebit aliquando emergere ex turpi otio, ac fortunæ vultum ostendere: Tibi, cujus per hanc occasionem virtus egregia, totque experimentis probata, revirescet, ut spero, in Filio non degenere. Hæc eo dicente, Rex detersit leviter manu quas natura expresserat lacrymas. Vidit Odoardus, eaque re paululum perturbatus, ita perrexit. Sentio equidem, gravem amantissimo Patri accidere discessum Filii, tam longo post hac terrarum, ac marium spatio abfuturi. Sed noli quæso Rex privatas cupiditates, cum negotium agitur publicum, ac porro summum, audire; magisque quid Regem hoc loco deceat, quam quid Patrem, vide. Si ullus esse lacrymis locus in hac nostra separatione posset, nulli justius uberiusque lugendum esset

quam mihi, cui carissima quæque relinquenda, omnesque naturæ necessitudines uno velut ictu sunt abrumpendæ; quo tandem ituro? Ad ignotos, ac forte ad interitum. Sed nihil tanti est. Serviendum gloriæ natura licet repugnante, & invita. Plura non sustinuit Jacobus. Precatus Deum O. M. ut id bene ac feliciter eveniret, filio potestatem fecit proficiscendi, cum collibitum esset, in Galliam, ac conventum dimisit.

Secundum hæc itineri Gallico se Odoardus accinxit, profectionemque maturavit tanta celeritate, ut inter Anglorum adventum, & ipsius discessum dies interjecti sint tantum viginti. Totum hoc porro tempus datum componendis ad eum modum rebus, ut abire posset quam occultissime. Nam si quo indicio res innotesceret, periculum ei præsentissimum creabatur, tum ab Anglis, qui totum mare mediterraneum navibus obsidebant, tum ab Anglorum fœderatis, qui magnam Italiæ partem infestam habebant. Difficultates objiciebantur ex adverso multæ gravesque, quæ rem desperationi proximam faciebant. Mare, uti dictum est. Anglorum Classibus interclusum, tamen necessario attingendum ex parte, qua saltem itur ab Liguria in Galliam. Terrestria itinera alicubi aperte inimica, suspecta alibi. Summa interea hiems, fœdi imbres, viæ gelu, pluviis nivibusque corruptæ. Ad hæc, metu pestilentiæ in Sicilia grassantis, custodiebantur per Italiam limites provinciarum,

portæ urbium cancellis ac milite sepiebantur, utque peregrinus quisquam advenerat, quis, unde esset, quo pergeret, curiosissime perquirebatur. Quin ad Genuensium fines prohibebantur aditu viatores, nisi prius experimento dierum quindecim probassent valetudinem, quæ res properanti moram molestissimam afferebat. Postremo posse Principem excedere ab Urbe sic, ut de itu ejus in Galliam nemo suspicaretur, difficillimum, ac vix sperandum videbatur. Qua enim arte falleret sagacitatem Populi Romani, pervidentis omnia, ipsas pene hominum cogitationes mentibus inclusas introspicientis. Ejus inquam Populi, qui more prisco inquirere curiosius in facta procerum, eorumque nihil dissimulare, prætermittere nihil solet? Nihil ne interluceret Civitati oculatissimæ, eo præsertim tempore, cum per occasionem belli Italici frequentiores in Urbe aderant omnium gentium advenæ, convenæque; cum studia partium maxime incalescebent; cum Oratores Principum ad omnem rumoris auram, & ad levissimos quosque motus excubabant? Et etiamsi reliquam civitatem eluderet, qui posset domesticos nunquam non hærentes lateri? Ab his vero timendum maxime, propterea quod inter familiares Principum delatores plerumque aliqui occulte versentur; cujus quidem pestis nonnulla pridem suspicio fuerat in aula Jacobi Regis, ac tum erat. Vidit Odoardus quid his rebus subesset incommodi. Nihil

tamen deterritus, adhibita industria atque virtute, terrestres æque ac maritimas difficultates feliciter superavit. Quodque magis mirere, profectionem celavit tam exquisito artificio, ut non innotuerit Romæ, nisi post dies ab ejus discessu undecim. Hæc quemadmodum fuerint administrata, juvat paulo exequi diligentius, quippe scitu digna, atque olim, si usus poscat, exemplo futura.

Principio ex duobus Anglis, quos abs Gallia submissos dicebamus, unus in Galliam remittitur, ut Ludovicum Regem de proximo Odoardi adventu faceret certiorem. Alter præire jubetur Massam, Lunensis Provinciæ oppidum Ligustico littori ferme junctum, ibi secuturum Principem opperiri, quæque ad prosequendum intra fines Genuensium iter usui essent opportune explicare. Huic commissa Odoardi nonnulla supellex fuit. Namque ipse equo proficisci constituerat, cursoris in morem, nullo impedimento, ac comitatu admodum nullo, nisi unius famuli. Monetur deinde e famulis unus, vir notæ fidei, strenuus, ac viarum peritus, ut certa die ad iter Gallicum præsto sit, quod esset cum uno quodam ex aulæ proceribus peragendum. Caveat tamen, ne ea de re cuiquam mortalium indicet. Postremo, quia illud erat præcipuum ne discessum Principis ullus domesticorum prænosceret, ordo omnis gerendæ rei in hunc modum componitur. Præfinita die ad v Idus Januarias, qua Odoardus se da-

ret in viam, ad eam diem venatio solemnis indicitur ad Cisternam, oppidum secus viam Appiam situm, trigesimo circiter ab urbe lapide, propter circumpositos miræ amplitudinis saltus venatui opportunissimum. Huc famuli venatoresque cum instrumento venatorio præmittuntur. Eo erat similior vero apparatus, quod per istos prorsus dies soleret quotannis Walliæ Princeps, una cum Henrico fratre Duce Eboracensium, eodem excurrere venationis causa, quæ venatio ad dies ferme quindecim extrahebatur. Consilii interea, quod arcano agitabatur, conscii erant admodum pauci, atque ii ferme, qui ejusdem exequendi delecti fuerant administri. Totam machinam versabat præcipuus ejus artifex Dombarius, vir Scotus genere, prudens in paucis, ac miræ in agendis rebus dexteritatis, qui primam Odoardi adolescentiam rexerat. Addubitatum parumper, an non in societatem arcani esset vocandus Henricus Eboracensium Dux. Cum eo Odoardus communicari negotium cupiebat. Nam, præterquamquod fratrem amantissimum insalutatum dimittere vix ferebat, adolescentis prudentia ætate major, ac sæpe experimento perspecta, ne non arcani fidem servaret dubium omne eximebat. Tamen, re maturius expensa, visum hanc officii partem prætermittere, ne quod forte extaret in ejus vultu mæroris indicium, quod cæteris suspicionem afferret.

Solam itaque præ oculis habens magni facinoris gloriam, cæterasque naturæ cupiditates virtute comprimens, perrexit Odoardus uti solebat hilariter cum fratre, cum domesticis, cum amicorum quibusque agere usque ad extremum, magna admiratione Jacobi Regis, Dombariique, qui vultum ejus tacite observabant, quidque animo coqueret non ignorabant. Id mirari præsertim licuit pridie quam abiret. Cum enim percrebuisset urbe rumor die postero Regios Principes Cisternam profecturos, ad eosdem consalutandos venerunt sub Vesperam, uti fit, ex omni fere nobilitate præcipui; Odoardus vero, non animo, non vultu perturbatus, qua solebat comitate venientes excepit, detinuitque, singulos compellans nominatim, illatum de venatione sermonem protrahens, jocos interdum interserens, ita prorsus ac si vere animi causa esset progressurus in Villam, non iter longum, difficile, periculosum suscepturus, non suorum aspectu deinceps, rebusque omnibus, quibus a prima pueritia insueverat, cariturus. Consentiebat Odoardi virtuti virtus Jacobi, qui cum animo esset supra quam credi possit exulcerato, tamen conventui interfuit tanta oris tranquillitate, ut nemo inclusam sinu tristitiam interpretari vel levissima conjectura potuerit. Soluto inter voces fausta omnia comprecantium cœtu, secuta est privatim cœna, accubueruntque, uti solebant, ambo cum Rege liberi. Nihil mœstitiæ, nihil in-

usitati ab circumfusis Aulicis animadversum. Remotis quin etiam dapibus, breve temporis spatium per hilariora colloquia traductum est, donec assurgens Rex filios dimisit, ac fausta prece abeuntes est prosecutus. Prior in sua conclavia se contulit Odoardus; at mox per aditum interiorem regressus ad Patrem, horam cum eo integram sine arbitris posuit.

Atque hoc demum in congressu, cum suprema verba loqueretur mœrens Pater, mœrens item Filius exciperet, credibile est nonnihil naturæ fuisse condonatum. Nullas equidem fuisse unquam lacrymas puto veriores, justioresque. Divellebatur ab amantissimo Patre Filius, quo non alius amabilior, futurus in tempus posterum, non solum procul ab ipsius conspectu, quod tamen esset gravissimum, sed inter ignotos, inter incerta belli pericula, & sexcentas mortes, uni relictus sibi, ac suæ virtuti. Ac Jacobus quidem Rex, ut erat propter adversos fortunæ casus ærumnosissimus Principum, ita isto filio Patrum fortunatissimus sibi videbatur, ac porro erat. Vicissim Odoardus, quantumvis de se parum sollicitus, Patrem tamen optimum, a quo egregie educatus, & ad hanc ipsam qua ducebatur gloriam institutus fuisset, quem vitæ ducem, quem virtutis magistrum habuisset, qui cum conjunctissima semper voluntate vixisset, in tristi senecta, atque orbitate invitissimus relinquebat. Una tamen re, inquit, multum erigor, atque sustentor, quod in

Henrico fratre non leve tibi solatium solitudinis relinquatur. In eo certe filium es habiturus multo meliorem me. Hujus præsentia filii desiderium alterius soleris licebit, donec melior nos fortuna conjungat. At, si quid veri mens augurat, brevem mœrorem excipiet voluptas summa. Adest fortasse præstituta divinitus dies, qua vertantur familiæ nostræ vices, ac damna sarciantur. Vive Rex, teque mihi ac Regno incolumem serva. Ad ea Jacobus, pauca pro loco ac tempore prolocutus: Macte, inquit, fili ista virtute, ac scito, unam mihi rem fore in hac vita jucundissimam amoto te, quod recursabit subinde menti tua isthæc excelsa indoles, ac talis me filii patrem esse gloriabor. His dictis, Syngrapham ptotulit suo obsignatam nomine, qua Odoardum Filium Walliæ Principem Regnorum suorum Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque administratorem supremum appellabat, in eumque Regiam potestatem transferebat. Hanc, subjecit, habebis apud te, cum usus poscet in publicum emittendam. Multa dehinc addidit plena pietatis ac prudentiæ monita, quæ meminisse olim juvaret. Postremo in genua provolutum arcte complexus, eique bene precatus, flentem fletu ipse madidus secedere, atque ire cubitum jussit.

Paucas admodum quieti horas Odoardus dedit. Circa tertiam vigiliam noctis adesse rhedam, ac tres præterea equos cum ephippiis jubet. Velle enim proficisci ante lucem, &

eodem die, si ita superis placeret, venationem auspicari Cisternæ. Quibus rebus celeriter administratis, Duci Eboracensi nunciari a se mandat, ut pone, cum visum fuerit, subsequatur: Ipse, assumpto viæ Comite Scheridonio equite, quo utebatur Progubernatore, cum eoque conscensa rheda, ad portam Lateranensem progreditur. Præiverat aliquanto Staffordius eques, Præfectus Regii Stabuli, sequente, & equum phaleratum manu ducente eo famulo, quem de itinere Gallico monitum diximus; atque hi pariter, ut jussi fuerant, in ipso egressu portæ constiterant, Principem opperientes. Odoardus, ut affuit, eos conspicatus in equis stantes, perinde quasi subito equitandi æstu corriperetur, consistere aurigam jubet, rheda delabitur, insilitque in equum. Tum, rhedarium famulosque ut falleret, elatiore voce denunciat Scheridonio, pergat ipse quidem suo itinere per Marinum: Se per Albanum Oppidum viam carpere, affuturum, uti juveniliter gloriabatur, Cisternæ multo quam ipse temporius. Nimirum a porta Lateranensi progredienti duplex objicitur via, utraque Cisternam ducens, per Marinum una, altera per Albanum, quæ duo sunt Oppida suburbana, salubritate Cœli, ac Romanorum præcipue rusticationibus nota. At prior militaris, & multo commodior. Per certa enim intervalla hospitia sunt publica constituta, ubi quicumque ultro citroque commeant, pretio persoluto, veredos, si vo-

lunt, & aurigas ad celeritatem commutant. Hac ire Neapolim publici Tabellarii solent. Altera aliquanto est brevior, sed per hiemem fœde lutulenta, crebris gurgitibus intercisa, ac ferme impervia. Prius vero quam ad id viarum divortium venias, altera occurrit ad lævam via, qua itur Tusculum. Jam ergo Odoardus sibi per agrum Albanensem iter esse fingebat. Obstare in speciem Scheridonius doli gnarus. Difficultatem itineris, quod esset ea tempestate impeditissimum, objectare: Id si resciret Rex, ægre laturum pronunciare. At surdo canebat. Odoardus, admisso incitatoque equo, . viam pervolat cum Staffordio, ac famulo, ejicitque se in viam Tusculanam: Quod ne Rhedarius animadverteret, Scheridonius interea demorari parumper eum, ac distinere studuit, simulato in ascensu rhedæ lapsu fortuito, nec innoxio: Atque ubi satis spatii interfluxisse visum, tunc demum progredi jussit. Dilapsus in hunc modum Odoardus, atque ab oculis Rhedarii subductus, capiti inducit tegumenti genus, quod totam prope faciem velaret. Eo uti viatores solent hiberno tempore ad arcendum frigus, ipse ne internosci a quoquam posset utebatur.. Tum dimisso Staffordio, datoque ei negotio uti suas ex condicto partes ageret, jusso autem famulo sequi se, cum jam præteriisset alia ex parte rheda, convertit equum, relegitque celerrime quod peractum fuerat viæ ad portam usque lateranensem. Hinc defle-

ctens ad dexteram secus urbis mœnia, totumque ambitum murorum quam longo tractu porrigitur, silentio noctis prætervolans, Flaminiam primo, deinde per pontem Milvium viam ingreditur, qua itur in Etruriam.

Erat ipsi necessario utendum aliquo stratagemate, si quidem frui vellet beneficio publico veredorum, & qua cœperat festinatione iter prosequi. Namque ita lege cautum est, ut equi isti meritorii non tradantur viatoribus, qui privatis equis ab initio instituerint iter. Neque id non præviderat Odoardus. Itaque multum cum processisset, relicta via militari, divertit Caprarolam, Oppidum tricenis quinis ab urbe millibus passuum, subiitque recta in ædes Farnesianas, ædificii mole atque structura nominatissimas, quæ erant id temporis Trajano Aquavivæ Cardinali, Regis Hispaniarum apud Pontificem Maximum administro, permissæ ad rusticandum; ita ut vulgo unus aliquis putaretur e Cardinalis ejusdem familia. Porro Aquaviva in antecessum, utpote arcani totius conscius & particeps, adesse ibi jusserat e proximiore equili publicos equos duos in usum, ut obtendebatur, Tabellarii occulte in Hispaniam mittendi. Qui cum essent in promptu, pasti atque ephippiati probe, nihilque deesse præter sessorem videretur, eos Odoardus Tabellario haud absimilis, sumpsit confestim sibi, eademque die ingressus denuo viam consularem, iter deinceps reliquum usque Genuam quatri-

duo confecit, equis per usitata spatia commutatis.

Eo ita diurnis nocturnisque itineribus progrediente, Cisternæ interea ad rem occultandam fabula agebatur pulcherrima, ac propter novitatem varietatemque eventuum non tacenda. Actores pauci, sed egregii omnes, atque omnium facile Princeps Scheridonius, quem extra portam Lateranensem ab Odoardo relictum demonstravimus. Is ubi Cisternam attigit, percunctatus ex iis qui primi occurrerunt domesticis de Principe, neque dum advenisse eum edoctus, mirari vehementer angique cœpit. Enim vero juveniliter illum fecisse dicere, qui viam eo anni tempore impeditissimam inire maluerit, relicta commodiore ac tuta. Accusare se, qui permiserit. Quæ cum impatientius, & irato similis pronunciaret, agmen famulorum turbari, ne quid adversi acciderit suspicari, sperare tamen meliora, num appareret subinde quærere. Evolutis hanc inter anxietatem ac metum horis circiter tribus, adest cum suo comitatu Dux Eboracensium. Tum vero gravissime turbatum est. Nam cum reliquisset Odoardus amantissimas ad Fratrem litteras de sua profectione in Galliam, eique tradi jussisset in ipso itinere Cisternensi, nuncio nec opinato adolescens graviter vulneratus, facile ad eam se composuerat ægritudinem, quæ erat nunc simulanda de industria, ut veri species imponeretur fabulæ. Dux ergo Eboracensis, com-

perto nondum advenisse fratrem, qui tanto præisset intervallo, ac viam breviorem tenuisset, perturbatus, inquies, omnino aliquid subesse infortunii statuebat. Mittendos proinde quam maturrime certos homines per viam Albanensem, quid acciderit explorandum. Dum parantur equi, dum turba domesticorum ut in gravissimo casu trepidat, nunciatur advenire citato equo Staffordium. Ea res metum cumulavit majorem in modum, cum solus conspiceretur is, quem constabat in viam se dedisse cum Principe. Staffordius, ut affuit, equo delapsus, præfatusque bono sint omnes animo, frustra expectari eo die Principem docet, nec forte affuturum nisi post triduum. Equo videlicet haud Albano procul prolapso, allisum humi esse leviter unamque costarum impegisse sic, ut non nihil tumoris extaret. Ob eam rem divertisse in proximas ædes Albanenses (est Albani principale Palatium, Jacobo Regi in usum Rusticationis addictum), ibique curationis causa consistere. Periculi subesse nihil; at nisi remedium præsens adhibeatur, censere Chirurgum, difficiliorem longioremque curationem fore. Unum modo Principi cordi esse, ne quicquid id est innotescat Regi: Rogare propterea, ne frater, ullusve domesticorum loco se commoveat, sed perinde omnia, quæ ad venationem pertinent administrentur, ac si ipse adesset. His auditis rebus Scheridonius, haud secus quam si vera nunciarentur

exæstuans, se vero negat posse cohiberi quin Albanum propere accurrat. Tali loco, ac tempore deseri a se Principem, suæ præsertim curæ commissum, nefas dicit. Staffordius contra per quidquid sanctum ubique est orare, atque obtestari, ut quiescat. Principi nihil neque ad vitæ usum, neque ad curationem deesse. Ad omne ministerium sufficere se, unumque famulorum, qui adesset, præter ædium custodem. Si quisquam alius accederet, id Oppidanis suspicionem allaturum, atque inde rem, quam esse occultissimam oporteret, facile divulgandam, magna Regis perturbatione, nec sine principis indignatione ac stomacho. Vera dici persuasum est cunctis, qui circumfusi aderant; cumque æquum videretur morem gerere Principi, Scheridonius, vix demum multorum deprecatione ac suasionibus exoratus, nihil ultra movit. Staffordius Albanum se retulit; Dux vero Eboracensis, ne de lapsu Principis cuiquam indicaretur, domesticis in communi interdixit.

Rem ita confictam, quia vero simillimam, veram crediderunt bona fide omnes ad unum, familiares pariter atque externi; neque enim impetrari potuit, ne statim ad aliquos Cisternensium manaret. Eidem affirmandæ opinioni, diebus proxime consecutis submittebatur identidem Albano nuncius cum Staffordii codicillis, quibus de valetudine Principis meliora afferebantur, quodque promissum initio fuerat de ipsius adventu ad diem tertium, de-

nuo promittebatur, ac certius. Illuxerat tandem tertius dies. Eo adventurum die Principem nemo dubitabat: Cum circa occasum solis, dum maxime in occursum ejus prodibat Eboracensium Dux, adest præter omnium opinionem tabellarius cum Staffordii litteris, in quibus erat, placere Principi ut venatio transferatur ad lacum Foliani, quo accessurus ipse esset die insequenti. Jacet Foliani lacus ad radices Circæi montis, longe a Cisterna millibus passuum decem. Venatu abundat locus, & ad occultandum arcanum mire opportunus videbatur, retrusus quippe, infrequens incolis, &, si paucos piscatores excipias, mera solitudo. Huc igitur migratum est postridie, didita prius fama Cisternæ, eodem properasse jam Principem ex Albano. Tum, etsi nullus appareret Foliani Princeps, eaque re varie afficerentur servuli, venatoresque; venatio nihilominus læta instituitur ab Duce Eboracensi, suamque uti quisque agat rem cunctis edicitur. Plures venatio dies tenuit; quo tempore de absentia Principis nemo familiarium commonere quemquam externorum potuit; tum quod erat commercium cum cæteris mortalibus interclusum; tum quod clanculum resignabantur omnium litteræ, ac si quæ ea de re mentionem facerent, igni tradebantur. Nam ad piscatores quod attinet, qui diebus prope singulis ex eo lacu piscium ingentem copiam convectare Romam solent, homines mire rudes, solum adire forum pisca-

torium soliti, nullam suspicionem faciebant. Et nihilominus iis, cum discedebant Romam, conceptis verbis mandabatur, ut si forte interrogarentur de Walliæ Principis lapsu ac valetudine, eum dicerent ex toto consanuisse, valere quam qui optime, laboremque assiduum in venatione ponere. Hæc ut opinio latius spargeretur, Romam mittebantur identidem Apri, capræque silvestres magno numero, atque inter proceres dispertiebantur nomine Principis, veluti pars prædæ, quam venatu collegisset. Atque his demum artibus effectum, ut de itu ejus in Galliam nullus in urbe rumor, ac ne suspicio quidem fuerit ad dies undecim.

Postea vero quam res manavit in publicum, difficile dictu sit, quanta civitatem admiratio compleverit, qui deinde motus animorum, quam varia hominum judicia fuerint. Nullus ad plures dies sermo frequentior exauditus. Ea de re summi infimique, ut sua quemque studia affecerant, ita existimare, ac loqui. Pars laudare virtutem alacritatemque Regii Juvenis qui avitum Regnum quocumque suo periculo quæsitum isset. Pars consilium ejus mirari magis, quam probare. Multi sententiam sustinere, rei exitum expectandum dicere. Boni omnes, qui semper in urbe sancta quam plurimi, ut id ad incrementum Religionis feliciter eveniret, superos comprecari, ac vota facere. Æqui tamen pariter iniquique Juvenem interea ornatissimum

desiderare, ereptum Civitati Romanæ lumen, & ornamentum præcipuum conqueri. Præ cæteris Benedictus Pont. Max. quem omnium primum Jacobus ipse Rex de Filii expeditione certiorem fecit, re audita, ac vehementer collaudata, a lacrymis non temperavit; sublatisque in Cœlum oculis, enim vero beatissimum fore se dixit, si tot inter calamitates, quibus jamdiu Christiana Respublica conflictaretur, hanc sibi lætitiæ partem reservassent Superi immortales, ut restitutam in suum Regnum Stuardorum familiam, eximie Catholicam, ac de re Catholica insigniter meritam cerneret. Id si eveniret vivo se, nihil fore præterea cujus rei causa prorogari sibi vitam cuperet. Addidit Sanctissimus Senex, si qua re cœpta provehere ipse posset, se neque operæ, neque ærario, utcumque tunc ob temporum difficultates exhausto, parciturum; quam verborum magnificentiam re deinde, factisque cumulate exæquavit.

Fuit præterea ex eruditioribus, qui Odoardi profectionem reputans tanta solertia, ac felicitate confectam, non solum omen inde cepit rerum prospere gerendarum, verum etiam videre sibi visus est redditum his temporibus Demetrium, Seleuci Philopatoris Syriæ Regis filium, quem tradit Polybius simillimo olim astu ab urbe Roma, ubi obses attinebatur, excessisse, ac paterni hæreditatem Imperii adiisse. Comparationem itaque instituit inter Demetrii fugam, profectionemque

Odoardi, ac luculento scripto exaratam in vulgus edidit. Ut talium avidissima sunt Romanorum ingenia, libellus urbe tota volitavit, magnaque omnium approbatione fuit exceptus, gratulante sibi Populo Romano, hoc etiam ætati suæ restare ex veteri amplitudine ac dignitate, quod Romæ educarentur Regum liberi, neque hinc prodirent nisi excellenti virtute ornati, & ad regnandum optime instituti. Et erat sane utriusque facti tanta similitudo, ut in Odoardo revixisse quodammodo Demetrium diceres. Principis utriusque conditio eadem, regalis scilicet. Ambo Regnis sibi debitis excludebantur, ambo Romæ vitam inertem traducere cogebantur; Ille quidem decreto Senatus, cui Reges omnium gentium parebant; Hic iniquitate fortunæ, cui summos quoque Principes obtemperare necesse est. Animus utrique ingens, & fortuna major. Congruebat ætas annorum viginti trium. Par discedendi causa, cupiditas Regni & gloriæ: Neque minus Odoardo, quam Demetrio periculosa profectio, eoque cavendum ut clandestina, & fugæ quam simillima esset. Venationem proinde simulant ambo, eumdem ambo venationi locum designant prope Circejum montem; Hoc autem obtentu, elusa omnium, & maxime domesticorum sagacitate, alter ad ostia Tiberina divertit, atque inde vela facit in Phœniciam; alter Cursoris habitu ac ritu, uti dictum est, fertur in Galliam.

Unum defuit, ut quemadmodum virtutem Demetrii Odoardus fuerat æmulatus, ita parem meteret fructum virtutis, parem laboris exitum inveniret. Sed aliter visum Superis, quorum curiosius vestigare consilia, nec utile, nec fas nobis est.

Odoardus interea ab Oppido Caprarola, nullam neque noctu, neque interdiu quietis partem capiens, Massam venit. Ibi ante aliquot dies constiterat Anglus ille Nobilis, de quo dictum supra, & ad iter reliquum peragendum cuncta providerat. Pervicerat in primis, ut sibi cum domestico quodam suo Genuam progressuro pateret intra fines Genuensium aditus, prætermisso valetudinis experimento. Neque id ægre impetraverat; seu quod multum resedisse per eos dies ferebatur pestilentiæ vis in Sicilia, & Liguriæ Claustra laxius custodiebantur; seu quod ipse Massa se commovebat, qui locus propter vicinitatem minime erat suspectus; seu demum quod venales custodes pretio corruperat. Quare, simul atque Massam Odoardus attigit, Anglo, de quo dicebam, se adjunxit in morem famuli honoratioris, eumque Genuam iter facere intendit; Emensus autem equo prærupta ac confragosa regionis juga, Genuam ipsam intravit Idibus Januariis, circa meridiem, quinta quam Roma excesserat die. Hac primum in urbe, exceptus amici domo, quievit aliquantulum, curavitque corpus. Nam ante hoc tempus neque vestimenta posue-

suerat unquam, neque somnum ceperat, neque quidquam gustaverat cibi, præter ovorum paria quædam properanter hausta. Eadem tamen die in vesperam inclinante, conducta rheda, iterum se dedit in viam Savonem versus, quam postridie urbem subiit.

At Savone parum ac prope nihil abfuit, quin præteriti laboris fructum omnem, ac spem futuri perderet. Oram ligusticam, qua parte spectat ad occidentem Solem, intersecat Marchionatus Uneliensis. Eandem claudit, atque abs Gallia Narbonensi disterminat comitatus Niciensis: quæ duæ sunt Regis Sardiniæ Provinciæ, haud magnæ illæ quidem, sed natura locorum, & angustis viarum faucibus trajectu difficillimæ. Rex porro Sardiniæ, cum esset Anglorum & Austriacorum innexus fœderi, loca hæc cum validis copiis tuebatur contra Gallos, Hispanosque, qui jamdiu Italiæ imminebant, ejusque perrumpere claustra tentabant. Erat itaque per istum terræ tractum aditus Odoardo præclusus; eaque propter conductum fuerat in portu Finariensi actuariolum hac lege, ut ad certum diem adesset Navarchus Savone, nostros viatores exciperet, ac transportaret Antipolim, qui Galliæ portus venientibus ab Italia primus occurrit. Placuerat ejus generis navigium agile & expeditum, tum ad celeritatem, tum ut propius radere littus posset, vitaretque occursum navium Anglicarum, quæ toto illo mari longe lateque discurrebant. At quæ sors navigan-

tium est, reflante Austro contumaci, & agitato vehementius pelago, neque ad præstitutam diem Navarchus affuit, neque Odoardo per sex ipsos dies egredi portu Savonensi licuit alio qualicumque navigio. Quam molesta acciderit Juveni fervidissimo tam longa mora, pronum est conjecturam facere. Postquam Italiam pene omnem uno velut impetu pervolaverat, hærere cogebatur in ipso prope Galliæ limine, atque eo prorsus in loco, ubi gravior instabat timoris causa, periculumque præsentius. Habebat namque in oculis minaces Anglorum puppes, totamque eam oram prætexentes prospectabat. Quid vero si vulgata jam esset per Italiam, ut videbatur credibile, profectio ipsius? Quid si, quod in tanta delatorum frequentia facillimum factu erat, Matthevio innotuisset, Anglicæ Classis Præfecto? Actum de se, atque omnino de suis rebus sentiebat.

In tam difficili rerum articulo, merito perturbatis e comitatu cæteris, unus animum non abjecit Odoardus, sed magis, ut virum fortem decuit, occurrere malo statuit, ac fortunæ adversitatem superare virtute. Videbat omnem esse salutis spem in audacia repositam. Consilium itaque iniit audax, sed pro loco ac tempore necessarium. Finarium progressus terrestri itinere, nactusque in promptu unum quod dixi actuariolum, eo statim conscenso, explicari ventis vela jussit, si forte nocte una posset Classem inimicam præter-

vehi, quæ in Anchoris stabat e regione Villæ Franchæ. Quæ demum cunque evenirent, fiduciam faciebant liberi commeatus litteræ, quas ab Anglico Præfecto dolo exsculptas, ad eumque Romam delatas alibi diximus. Consilium, Deo protegente, ac spirante a puppi vento validissimo, successit ad votum. Quiddam tamen accidit, unde certius suspicaretur cognovisse jam hostes de suo itinere, sibique insidiari, Prima luce, dum maxime illud peragit spatium, quod inter Monacum, & Antipolim haud longo tractu porrigitur, Angli e bellicis navibus conspicati brevem phaselum tam procelloso mari, tam audacter vela facientem, expeditum aphractum cum manipulo armatorum miserunt, sive ut interciperent eum, sive ut explorarent tantum. Cum neutrum liceret, quod erat Phaselus longo spatio summotus, Angli nihilo secius insequi fugientem institerunt usque Antipolim, eodemque pariter appulerunt. Neque vero intra portum molesti esse desierunt. Rogabant nostri, ut intra Urbem reciperentur; Idem ut sibi liceret minaciter poscebant Angli, venisse se affirmantes ad coemenda cibaria: Quod nisi admitterentur ipsi, neque vectores Finarienses admitti oportere contendebant. Gubernator Urbis, cui advenarum ignota conditio, ne alterutris injuriam faceret, utrisque ex æquo exscensionem vetabat, præcise negans fas sibi esse quemquam ex ora Italica venientem admittere. Qua re

efficiebatur, ut cogeretur Odoardus egredi portu denuo, atque ubi in apertum prodiisset, hostibus in prædam cedere. Aphractus interea Anglorum, ac Finariensis Phaselus quam minimo intervallo distabant, ac pene se contingebant, neque alteri alterius effugere aspectum licebat. Quod nunc dum reputo, periculum Principis exhorresco, qui tam proxime abesset ab hostibus numero pluribus, animo ferocissimis, & armatis. Vim illi quidem abstinuerunt, credo, reverentia asyli, quod nomen apud omnes gentes sanctum inviolatumque est. Cum tamen in eorum vultu quiddam extaret procellosum ac turbidum, id saltem rogarunt nostri Prætorem, ut Anglos annona instructos portu excedere primos cogeret: Quo impetrato, Princeps aperuit illi se, ac conditionem suam. Hæsit attonito similis Prætor, qui nihil minus cogitaret. Quod ignotum hactenus repulisset, prolixe purgavit se. Et nihilominus, ne videretur Britannis iniquior, qui negatam iis exscendendi facultatem aliis concessisset, translato uti tunc licuit in aliud navigium Principe, dimisit e vestigio, qua venerat, onerariam, quam portu egressam Angli rursum appetierunt, ac Monacum usque fugientem exagitarunt. Primis deinde se intendentibus tenebris, nullo edito strepitu, portum Gubernator adiit, eductumque e Navigio Principem in paratam domum introduxit. Paucas Antipoli horas Odoardus posuit, soli notus Gu-

bernatori. Hinc terrestri itinere Avenionem contendit, qua in Urbe cum degeret Ormondii Dux, vir ætate ac rerum usu gravissimus, Stuardiæque familiæ vetus Cliens, cum eo communicare sua consilia, atque omnem ordinem gerendæ rei constituerat. Quo facto, præmissis ad Galliæ Regem nunciis adventus sui, Lutetiam venit.

Aliis interea super aliis ex Italia litteris nunciabatur Londini, Stuardium Principem, Jacobi Regis (Regni Anglici petitorem illi vocant) filium natu majorem, repente ab urbe Roma in Galliam evasisse, haud dubie evocatum ab Rege Galliæ, qui hujus objectu Principis hostile aliquid machinaretur adversus Angliam. Rumor, etsi Aulæ Londinensi molestus, spernebatur initio, non quod vanus putaretur, sed quia intererat Georgii Regis ne glisceret in Vulgus res, qua valde turbari status rei publicæ poterat. Ecce autem haud multo post afferuntur ex Gallia Nuncii, Classem ingentem, quæ jam ante magno apparatu, & ignoto consilio in portu Brestensi adornari coepta esset, tandem armis militibusque, & omni belli copia instructam probe vela fecisse, & ad fretum Anglicum, quod manicam vocant, proras direxisse. Alii mox superveniunt, rumoremque dissipant, novam parari Classem Dunquercæ; tantum vero navium ac militum eo contrahi, ut plane appareret de transportando exercitu, exscensioneque facienda cogitari. Quin Angliæ Scotiæ-

ve littora tanto molimine peterentur, nemo dubitabat. Et erant qui dicerent, visum sibi Dunquercæ Juvenem præclara forma, cultuque insigni, quem majores minoresque Duces unum præ cæteris venerarentur, præsertim ex Hibernorum Legionibus Regi Galliæ stipendia facientibus; Hunc vero ipsissimum esse Odoardum interpretabantur. His rebus cognitis, turbatum est Londini, ut in negotio gravitatis supremæ. Georgius Brunsvicensis Rex, æque timendum sibi intelligens externe ab incursione Gallorum, atque interne ab turbulentis multorum consiliis, qui rebus novis studere, ejusque aversari Imperium videbantur, consilium solemne indicit. Post ipse in consessum veniens, quid contra Angliæ libertatem religionemque in Gallia agitetur, docet. Ordinibus autem regni denunciat, si quidem manere velint in fide Regis, cui se se Sacramento obligaverint, nunc re & factis ostendant. Responsum est ab utroque Ordine, se vero in Regis potestate semper futuros, neque permissuros ut contra communem patriam & religionem quidquam inceptaretur impune. Dictis facta consenserunt. Nempe Angli, tum insita æmulatione a Gallis dissidentes, tum contra eos recentibus offensionibus efferati, etsi ab Stuardiis suopte ingenio minime abhorrebant, hos tamen imponi sibi per vim ab Gallorum Rege, iniquissimo ferebant animo. Hinc ad hostium impetus propulsandos studium omne conversum,

& quædam prævertendis motibus intestinis provisa.

Principio contra Odoardum nominatim, ut contra hostem publicum, Regnique perturbatorem majestatis lege damnatum, atrox edictum proponitur. Eum si quis mactaverit, sicario triginta librarum Anglicarum millia e publico ærario persolvenda promittuntur, quæ summa ad rationem nostram revocata nummum est aureorum centum viginti millium. Catholici deinde omnes, quod ea natio clam favere Stuardiis putabatur, Londino excluduntur, denunciaturque iis, capitale fore si intra decimum ab Urbe lapidem inveniantur. Erant sub signis octo militum veteranorum millia, in Belgium prope diem devehenda ad exercitum fœderatum. His injungitur, insula ne excedant. Et quia parum in his esse præsidii videbatur, suppletur novis delectibus Regius exercitus, novi scribuntur milites, & ad ultimas Regni oras, quæ magis paterent hostibus, in præsidio collocantur. Educuntur præterea bellicæ Naves, totumque prætexere jubentur littus, qua parte vergit in Galliam. Trevorio demum Legato Anglico, qui Hagæ comitis apud Batavos considebat, negotium datur, ut mittenda quam primum curet in Angliam sex armatorum millia, quæ pro veteri amicitia ac societate invicem sibi auxilio deberent Angli Bataviqne, periculo ingruente. Namque in hanc legem a longo tempore consenserunt duæ nationes conjunctissimæ,

ut communem rem tueantur. Sumptum hisce perficiendis rebus liberaliter offerebant Regni Ordines, & ampliorem etiam pecuniam, si usus posceret, promittebant.

His non contentus Georgius Rex, ne quid omnium omitteret, quod ad avertendam procellam videretur idoneum, tametsi præcipuam defensionem in armis ponebat, jus etiam experiri, ac negotium ex æquo & bono agere cum Rege Galliæ statuit. Hæc proinde ei significari per suum Lutetiæ Oratorem jubet: Auditum esse Londini de clandestino adventu Stuardii Principis in Galliam, variisque rumoribus circumferri, venisse eum hoc animo, ut Gallicis suffultus auxiliis invadat Angliam, quod Regnum ad se jure sanguinis pertinere diceret. Enim vero rem videri adeo indignam, ut ægre fidem inveniret. Haud facile adduci posse quemquam ut credat, Christianissimum Regem, nulla adhuc belli denunciatione, tale quid contra Angliam moliri, tamque hostiliter in ipsum nominatim Angliæ Regem grassari voluisse. Cum tamen rumor in dies invalesceret, ac vehementibus comprobaretur indiciis, petere Georgium Regem ut stetur pactis fœderis Ultrajectensis. Esse in iis, numquam Galliæ Reges Stuardiæ familiæ patrocinaturos, eamve in suo consistere Regno permissuros. Stuardium ergo Principem Ludovicus Rex pro sua æquitate absistere procul jubeat, atque extra Regni fines confestim dimittat. Ad hæc postulata

nihil perdiu responsi datum, qui erat planus negandi modus. Sed cum instaret vehementius Legatus Anglicus, ad extremum Amelotus, Galliæ Regis primarius administer, in hæc verba respondit. Frustra citari pacta ab eo, qui fidem pactorum prior violaverit. Hæc utrinque ex æquo servanda fuisse. Simul ergo ac Georgius Angliæ Rex satis fecerit pro injuriis, quibus & Galliam lacessiverit, & amicitiæ conditiones infregerit, Regem quoque Galliæ staturum pactis, neque recusaturum in eo negotio quid sui consilii esset aperire. Quo responso exulcerati sunt Angli majorem in modum, ut jam res ad apertam offensionem spectaret.

Re ipsa secuta post paulo est belli mutua denunciatio, utrinque hostiliter agi coeptum. Cæterum etsi Odoardus Classem Dunquercanam conscenderat, utrum vere ea Classis ad invadendam spectaret Angliam, dubitarunt postea, nec immerito, rerum prudentiores viri. Dubitandi causa fuit, quod naves octoginta numero, refertæ licet milite & commeatu, prius etiam quam portu solverent, coorta vix tempestate, vela posuerunt, atque ab incepto penitus destiterunt; nec multo post, remissis ad sua contubernia Legionibus, belli que copiis in promptuaria convectis; ejus expeditionis omnis est cogitatio deposita. Classis quin etiam Brestensis cum portu solvisset, atque in Altum processisset, quod diceretur plus nimio quassata ventis, nulla re

gesta, ac ne tentata quidem, in Galliam fuit reducta. Quorsum ergo illæ tantæ navium, & armorum minæ? Forte ad deterrendos Anglos, ne reliquum exercitum cis mare mitterent in Belgium, cujus potiundi spem Galli conceperant. Forte etiam ut perculsus tam terrifico ac vicino belli apparatu Georgius, Rex ocyus revocaret ad tuitionem sui Classem, quam sub Matthevio habebat in mari infero, atque ita liberum relinqueretur mare Mediterraneum navibus Gallorum Hispanorumque, quæ jamdiu hærebant in Telonensi portu obsessæ, liceretque tandem iis prodire in apertum, ac Philippum Hispaniarum Principem cum maximis copiis deportare in Italiam. Nam, cum Alpium aditus, omniaque terrestra itinera acerrime custodirentur ab Rege Sardiniæ, per eamque partem irrumpere desperarent Hispani, ad maritimam trànsvectionem spes omnis reciderat, quam tamen Matthevius opposita classe prohibebat.

Id ut vulgo crederetur multæ effecerunt res, sed illa in primis, quod cum Matthevius nihilo secius in sua statione consisteret, tunc demum Classis Telonensis, quæ ex Gallicis navibus Hispanicisque, uti dictum est, constabat, egredi portu est jussa, ac prælio decertare cum Anglis, si forte exigerentur per vim, qui astu retracti ad sua littora non fuissent. Sed neque id satis prospere cessit. Atrox conserta est pugna ad Stecades insulas, quæ, ut non nimium læta acciderit

Anglis, fœderatos ab mari infero extrusit prorsus ac depulit. Facti culpam referebant deinde Hispani in Præfectum Gallicum, qui certamine abstinuisset, suasque naves, non tam in pugnam eduxisset, quam in spectaculum alieni discriminis continuisset. Ipse iniquitatem loci, ventorum adversitatem, necessitatis vim excusabat. Totam certe hostium impressionem Hispani sustinuerunt excellenti virtute. Nonnullas navium Anglicarum tormentis laceraverunt, ac remulco discedere coegerunt, unam demerserunt, perdiu ancipitem prælii fortunam fecerunt. At demum obruti numero, navibus partim deustis, partim male multatis, coacti sunt ad Hispaniæ oras se recipere: Quo facto, consilium eorum de obtinendo mari, transportandoque navibus in Italiam exercitu, penitus est interversum. His ergo de causis, quæcumque ex adverso obtenderentur, vero haud absimile visum est multis, noluisse tunc quidem Galliæ Regem bellum urgere contra Angliam, neque apparatu illo Navali aliud spectasse, quam ut ne Angli pergerent Austriacis auxilio esse, sive in Belgio contra se, sive in Italia contra Hispanos.

Utcumque fuerit, hæc cum opinio multorum mentibus insedisset in Anglia, & Aulam cum primis Londinensem occupasset, id Odoardo commodissimum accidit. Nam Georgius Rex, pro certo sumens Galliæ Regem de Stuardorum fortuna haud magnopere la-

borare, deque invadenda Anglia aut nunquam serio cogitasse, aut ab ea mente penitus discessisse; de priore anxietate tantum remisit, ut qui nuper ad tutandum Regnum externas opes poscebat, nunc satis superque esse præsidii diceret in populorum fide atque virtute. Itaque, ut jam omni solutus metu, non modo Hollandis subsidium, quod conferre parati erant, cum actione gratiarum remisit, verum etiam octo, quæ dixi, Anglorum millia trajicere jussit in Belgium, seque ac Regnum militiæ robore spoliavit, ut labantes Austriacorum res confirmaret. Nec ita multo post ipse, tradita rerum administratione delectis ex ordine Senatorum Quatuor viris integerrimæ fidei, in Germaniam proficiscitur, acturus e propinquo apud Principes Augustales, ut Carolo VII, e Bojerum familia Imperatori, quem cita mors interceperat, Franciscus Lotharingus, Etruriæ magnus Dux, Reginæ Hungariæ maritus, in Imperium subrogaretur. Adeo nihil sibi a Gallis, nihil Regno timebat suo. Parte alia Angli, Stuardium Principem cum putarent Gallorum viribus destitutum, hoc minus aversari eum cœperunt, quod non eandem arbitrarentur ejus, atque hostium causam. Quem cum Gallis conjunctum ferre nequaquam poterant, eorum armis exutum aut amabant, aut certe non magnopere respuebant. Tantum interest ad odium benevolentiamve multitudinis contrahendam, cujus

quisque amicitiæ illigatus inveniatur. Neque id Odoardum nesciebat. Quare ut magis molliret Anglorum animos, non tam sibi, quam Gallis, ut putabatur, amicis fautoribusque suis infensos, faciendum sibi statuit, ut nec Regis Galliæ amicitiam ostentaret, nec ejus auxiliis, quæ offerebantur amplissima, nisi parce admodum & occulte uteretur, ita prorsus ac si popularium dumtaxat suorum benevolentiæ fideret, seque totum permittere ipsorum arbitrio vellet. Hoc consilio, quod ipsi etiam Ludovico Regi valde probatum est, quamdiu Lutetiæ constitit, menses omnino sexdecim, Versaliensem Aulam frequentavit nunquam, raro se dedit in publicum, nec fere nisi cum Anglis, Scotis, Hibernisque, quorum ingens numerus in ea Urbe versabatur, consuetudinem junxit.

Interim de statu rerum Anglicarum occulte quærens, hæc reperiebat. In Anglia haud satis perspici, quo plerique inclinarent. Divisa nempe esse hominum studia, & multos, opinionibus male præsumptis occupatos, a Stuardiis abhorrere ea tantum causa, quod propensione Galli dicerentur, Religione Romani essent. At Scotorum maximam partem, non solum ex ima plebe, verum etiam ex primoribus, Stuardiorum dominationem profusis studiis expetere. Non animum iis, non audaciam ad rebellandum deesse, sed tantum Ducem. Si quis signum tolleret, Regnum momento omne ad ejus partes tran-

siturum. Vigilare quidem Regios Magistratus in Urbibus oppidisque celebrioribus; at montanorum familias, quæ magno censerentur numero, & gens Scotiæ ferocissima ac bellicosissima haberetur, a suis singulas Principibus regi; istorum autem plerosque ita esse comparatos, ut pro suis antiquissimis atque optatissimis Regibus nihil dubitarent res fortunasque, atque ipsam adeo vitam dare in omnem casum. Tempus gerendæ rei videri opportunissimum. Abesse procul Georgium, Germaniæ ac Romani Imperii negotiis occupatum. Quatuor viros Regni administratores nihil extimescere, in magna securitate versari: Veteranum militem omnem cum peritissimis quibusque belli Ducibus in Belgium esse transgressum. Et quamquam Castella quædam Scotiæ aptis præsidiis militum tenerentur, tamen justum exercitum adesse nullum, nec facile posse coalescere. Littora demum Insulæ, præsertim ex parte occidua, immunita prorsus inveniri.

Hoc habitu rerum Odoardus in spem negotii prospere conficiendi erigebatur, neque deerant qui occultis subinde nunciis ac litteris sollicitarent eum ad maturandam profectionem in Scotiam. Ipse cunctabatur tamen, nihil temere audendum statuens. Post annum in rebus explorandis insumptum, placuit periculum facere. Prius vero quam suum ipse caput, in quo belli summa vertebat, discrimini objiceret, certos submisit homines in

Scotiam, qui prima jacerent conjurationis semina, sollicitarent ad defectionem populos reconditiores, iis præsentem pecuniam, & arma largirentur. Dum hæc tentandi quodammodo vadi causa geruntur, res, quantumvis caute tractaretur, nescio quo suboluit inditio, & quædam est tumescentis seditionis afflata suspicio Londini. Protinus Edemburgum, urbem Scotiæ Principem, advolarunt rigidi cognitores, quæstiones severissimas instituerunt, quosdam perfidiæ suspectos in vincula contruserunt. Sed cum nihil certi criminis a quoquam exsculperent, rati suppliciorum minis satis conterritam multitudinem, nihil ultra moverunt, ac Londinum pacata omnia nunciantes redierunt. Quibus amotis, hoc tutius deinde concrescere seditio cœpit, quod omnis videretur suspicio diflata. Eo paulatim deducta res est, ut cohiberi ultra vix posset Montanorum conspiratio, celari ea quidem certe nullo modo posset. Tunc demum Odoardus, plenus bonæ spei, confirmato ad audaciam animo, proficisci statuit. Ad perfectionis modum quod attinet, duo tantum ipse requirebat. Alterum, ut nihil hostile præ se, nihil Gallicum ferret. Alterum, ut strepitum cieret nullum, neque prius profecturum fama vulgaret, quam profectum. Tertium addidit amicorum industria, ut quam minimum haberet periculi. Res autem est omnis in hunc modum composita.

Est in Armoricæ latere extremo, ad ostia

amnis Ligeris, portus haud magni nominis, scopulorum tamen objectu tutus, quem Fanum Nazarii vocant. Objacet ei Bellinsula, Calonesus antiquis dicta, brevis insula, portu eadem, & arce valida gaudens. His in locis, quippe secretioribus, apparatum itineris fieri placuit. Hibernus quidam nobilis, Welsius nomine, qui a longo tempore degebat in Gallia partes Stuardorum secutus, myoparonem conduxit eximiæ magnitudinis, a turba nautica & commeatu optime comparatum, tormentis itidem bellicis duodeviginti munitum, utque ad præstitutam diem in portu Nazariensi adesset, providit. Sed quia periculosum videbatur, tot discurrentibus per Oceanum navibus Anglicis, navigio uni committere vitam Principis, eodem tempore adesse jubetur prope Bellinsulam navis regia, cuculibus tormentis septuaginta, ac sexcentis militibus Gallis instructa, quæ myoparonem præiret aliquanto, præsidii futura, si quid forte adversi inter navigandum occurreret. Bellicæ navis Præfecto, viro strenuo, reique nauticæ expertissimo, defendendi, custodiendique myoparonis cura demandatur. Quibus ita comparatis rebus, Odoardus, parva dumtaxat domesticorum manu stipatus, fanum Nazarii clam omnibus petit, paratum myoparonem conscendit, ac vela facit, brevi intervallo præeunte, uti dictum est, bellica navi. Hoc apparatu, quis credat? Regi potentissimo bellum inferebat, ac de Regno potiun-

tiundo cogitabat. Totæ ejus copiæ septem domestici. Tanta juris virturisque fiducia!

Solvit Odoardus ex Gallia circa dimidium Mensis Julii, Scotiamque attigit sub initium Sextilis, Anno MDCCXLV, diebus ferme quindecim in navigatione positis; quæ si paulo fuit longior, non id adversitate ventorum accidit, sed quod circuire Angliam maluit ex parte meridionali, atque in occiduam Scotiæ oram, utpote minus custoditam, appellere. Cæterum, etsi secundissima usus navigatione, proxime abfuit a pernicie, deveniebatque haud dubie in hostium potestatem, nisi de navi bellica fuisset provisum. Provectus in Altum, totamque præterlapsus Angliæ oram australem, processerat jam ad fretum Hibernicum, porro tendens ad Ebudas Insulas, quæ multæ sunt in mari Deucaledonico. (Eas nunc Angli, quod ad occiduam Scotiæ plagam jacent, patrio vocabulo Westernas appellant.) Ecce autem dum maxime flectitur circa Hiberniam, apparet ex adverso ingens numerus navium Anglicarum, quæ uno & maximo comitatu vela faciebant. Ducebat agmen una majoris alvei in belli usum armata, quæ Gallicas ut conspexit naves, a cæteris statim divulsa, obliquat sinus in ventum, iisque minaciter appropinquans, vim intentat. Præfectus Regiæ navis, cui commissam Principis custodiam tradidimus, occurrit venienti magno animo. Produci tormenta, stare in armis milites jubet, acerrimam de-

fensionem parat. Id modo agebat ipse, ut distineret hostem, donec spatium evadendi daretur myoparoni. At sensim incalescentibus animis, certatum est horas continenter septem incredibili ferocia, neque prælium nisi intercursu noctis diremptum; quo prælio unaquæque navium vincere, atque altera potiri poterat, nisi se victam & exitio proximam arbitraretur. Tanta utrinque clades fuit. Odoardus interea e media pugna dilapsus, iter suum tenuit nullo infesto occursu, delatusque in mare Deucaledonium, Maleum (Mulam indigenæ vocant) appulit, unam ex Ebudis. Ut est ea insula brevi freto, seu potius æstuario, a continenti discussa, facili inde trajectu pervasit in Scotiam, conseditque cum suis comitibus in Valle Finaniensi, intra fines Loquabriæ.

LIBER SECUNDUS.

Cognito Odoardi adventu, statim amici clientesque ejus in vicina juga suggressi regionem pagatim concursare, crebrasque montanorum familias ad arma vocare cœperunt. Adesse tempus, ajebant, quo respicerent aliquando se, ac miserrimam conditionem suam. Nam quousque tyrannis serviendum? Nunquam ne externum propulsandum imperium? Nunquam impositum cervicibus jugum excutiendum? Irent secum: suo se Principi ac liberatori adjungerent; ejus simul injurias ac suas justo pioque bello persequerentur, libertatem dignitatemque pristinam sub legitimo dominatu recuperare studerent. Georgium Regem ne metuerent, qui magis more tyrannorum metueret ipsos, profugissetque jam in Germaniam sua conscientia damnatus. Quæ ut latius spargerentur, litteras ubique disseminabant Dublinensibus typis impressas, quibus Princeps ipse Odoardus Scotorum gentem amicissime compellabat, & ad obsequium Jacobi parentis sui verbis gravissimis revocabat.

Erant in iis litteris multa; quibus Georgio Regi ingens conflaretur invidia. Non Re-

gem esse eum, sed Regni possessorem injustum, qui nullo bono jure obtineret imperium. Nihil deinde habere Regis, præter nomen, & male creditam potestatem, qui neque populo jus diceret, neque publicam procuraret rem, sed obtentu boni publici nationis opes unice liguriret, novas quotidie emungendæ pecuniæ vias exquireret, nova semper subsidia insatiabili aviditate exigeret, atque immensum argenti numerum quotannis Hannoverum natale solum transmitteret. Non sic Stuardios regnasse Principes majores suos; non sic Jacobum Regem æquissimum, seque ipsum regnaturum. Multum enim interesse utrum Princeps imperitet indidem natus, an extrarius. Hunc velut in hostico degere, atque unum, dum licet, agere, ut Regni aliquando tandem dimittendi spoliis ditescat. Illum populorum sortem, quæcumque ea sit, suam ducere, communis patriæ caritate. Hæc prolixius exsecutus, sermonem deducebat ad iniquissimæ proscriptionis edictum, quod contra ipsius caput promulgatum docuimus. Dolebat vitam suam venalem fuisse habitam, armatis in suam perniciem sicariis, & pretio ad parricidium incitatis. Etiamsi dubium esset Stuardorum jus in Britannici hæreditatem imperii, quod tamen erat certissimum, non debuisse Brunsvicensem Principi ejus sanguinis jus suum reposcenti tam nefariis artibus insidiari. Non defuturam sibi, si vellet, parem summam ad cremandum Georgii

caput; sed non tantam Regii capitis vilitatem apud se esse, neque tam barbaro ignobilique animo esse se. Non per occulta latrocinia, non facinorosorum manu, sed aperto Marte de jure vel injuria inter Principes decerni oportere. Se percussorem nullum quærere, nullam sceleri mercedem promittere, nec æmulo suo, utcunque male de se merito, vitam invidere, sed Regnum. Hoc ipsum, uti certum familiæ suæ patrimonium, non tam armis ac vi, quam jure repetere. Solum propterea advenisse, ac suo tantum ense succinctum. Oblata sibi fuisse a duobus potentissimis Regibus magna ad bellum suscipiendum auxilia, sed peræque repudiata ab se fuisse; & nisi Brunsvicensis externum militem introduxerit, deliberatum fixumque habere iis nunquam uti. Solis civium suorum viribus velle de suis hostibus triumphare, & valde cupere ut neque cruenta, neque cuiquam exitialis victoria sit.

Hæc summa litterarum, quæ toto Regno circummissæ magnos ubique motus animorum excitarunt. Ex montanis continuo ad duo millia, collecti in agmina, suosque in ordines distributi, & armis more patrio instructi, in vallem Finaniensem ad Principem accurrerunt. Cujus gentis quoniam præcipuæ in bello Stuardiano partes fuerunt, non abs re puto erit hoc loco de ipsius indole, moribus, & institutis pauca proloqui.

Montani, quos Scoti Higlanderios vocant, homines sunt ingenio præferoces, mira corporis duritie, ipsoque naturæ habitu ac vitæ instituto ad militiam facti. Montibus habitant editissimis, ac magnam partem abruptis, qui multi conspiciuntur in Scotia, partim perpetuo decurrentes jugo, partim vallibus disjuncti. Cultura agrorum plerique tolerant vitam. Interjacent enim, uti dictum est, crebræ valles, pecore pabuloque uberes, nec inamœnæ, quas illi e suis delapsi jugis excolunt, frumenti, oryzæ, aliarum frugum lato proventu. Multi venatu ætatem transigunt, cujus rei facultatem amplam præbent dorsa montium plerumque silvosa, & vario plantarum genere convestita. Ferina victitant ipsi satis laute; Ex coriis vero cervorum caprearumque silvestrium mercaturam quæstuosam faciunt. Propria utuntur Montani lingua, quæ ad Hibernicam ferme accedit, ejus, quæ in planitie usitata est, prorsus ignari. Vestitu gaudent admodum simplici. Non femoralia, uti nos, non tibialia adhibent, nullas promissas ad talos vestes gerunt; sed appresso ad corpus sagulo breve pallium imponunt ad arcendum frigus, coxis ad verecundiam subligaculum circumducunt ejus formæ, qua uti apud nos pedarii cursores solent; pedes autem, & crurum extrema cothurnis amiciunt, cætera discincti, eoque ad cursum agiles, & ad agendum summe expediti. Caput pileolo brevi, plerumque

textili, obtegunt, neque capillum nisi raro tondent. In bello, præter pyrobalistas, prægrandes adhibent enses, quibus in tractandis mira pollent dexteritate. Natio est omnis divisa in plures tribus, quæ singulæ plures pagos complectuntur. Unicuique tribui fundatorem unum assignant e gente Hibernica, cujus ipsi se sobolem posteritatemque prædicant. Externas cognationes respuunt, neque matrimonia nisi cum popularibus quisque suis jungunt. Singulæ proinde tribus sunt veluti familiæ totidem, divisæ quidem in plures ramos, sed satæ a communi stipite, & perpetua consanguinitate conjunctæ, qua re plurimum gloriantur. Est deinde in unaquaque tribu vir præcipuæ auctoritatis, quem cæteri contribules ut commune caput, ac veluti familiæ parentem venerantur, ad eum soliti referre se, si quid incidat negotii gravioris, si quid in communi deliberandum occurrat. Amicitiam inter se, jusque hospitii quam optima fide colunt, nec quidquam pejus oderunt, quam simulationem & fraudem; At iidem injurias persequuntur inexpiabili odio, nec sero inultas dimittunt. In illa Religionis luctuosissima clade, quæ per Angliam, Scotiamque facta est sub Elisabetha Regina, erepsit in has etiam editissimas rupes superstitio Calvini, multique a majorum fide ad novitatem turpiter desciverant, quæ progressu temporis radices egit: Tamen Catholici supersunt adhuc bene multi,

non solum priscæ veritatis retinentissimi, sed ejusdem propagandæ studiosi, cujus rei causa Sacerdotes idoneos apud se alunt. Cæteri superstitionem magis ignorantia veri, quam animi pravitate sectantur.

Ex his ergo hominibus agmen, uti dixi, duum millium venit in Vallem Finaniensem. Eos Odoardus ut vidit, aspectu magnopere est delectatus, præsertim quod truci vultu horridoque ferociam spirabant, eumque lætis acclamationibus Principem ac liberatorem suum consalutabant. Perplacuit in primis vestimenti genus, tum quod paratu facile, tum maxime quod ad progrediendum pugnandumque quam minimum afferret incommodi. Simile proinde indumentum comparavit sibi; neque deinceps alio incessit habitu quam Montani, quæ res mirum ut silvestres illos animos ipsi devinxerit. Quo primum die Montani advenerunt, positis apto loco castris, ac tumultuario opere emunitis, Stuardianum in medio vexillum, quod Jacobo Regi, liberisque ejus, atque omni Scotorum genti bene ac feliciter verteret, constitutum est cum insigni celebritate ac pompa, denunciatumque Georgio Brunsvicensi bellum. Bellum porro volebant, bellum læta succlamatione poscebant novi milites, procurrere in hostem statim, ac decertare gestientes. At Odoardus, recte existimans frustra esse ardorem audaciamque sine scientia militari, nec milites eos, sed inconditam multitudinem putans,

nisi scirent servare ordines, signa sequi, ad nutum Imperatoris promovere, flectere, continere gradum, priusquam in apertum prodiret, eosdem peritis ducibus ad militarem disciplinam paululum exercendos dedit, hoc etiam consilio, ut interea conveheretur annona, & numero augeretur exercitus. Post, ubi satis institutos vidit, majorum minorumque ordinum Præfectis constitutis, atque omnibus comparatis rebus, præferri signa jubet; ac profectionem indicit.

E comitatu Loquabicensi, directo in meridiem itinere, ventum est per provinciam Albanensem ad Tavum amnem, quo tota in duas partes, septentrionalem, ac meridionalem, Scotia dividitur. Jamque aliis atque aliis transitionibus excreverat exercitus ad quatuor hominum millia, & siquid amplius. Non enim solum ex montibus, verum etiam ex planitie multi ad signa veniebant Odoardi nomine virtuteque capti. Nam, ut hoc statim exequar, de quo sæpius in decursu dicendum esset, Odoardi mira comitas, & quædam Principi non indecora popularitas, adeo percellebat animos, ut pulchrum sibi quisque duceret sub tali Duce stipendia facere. Licet ab equis imparatus non esset, pedes incedebat semper inter suos montanos, eorumque duritiem, tum in laboribus tolerandis, tum in curando corpore æmulabatur. Si fluvio interscinderetur via, eum vado perinde ac cæteri trajiciebat. Ubicumque ca-

stra fierent, non alibi quam in militum contuberniis hospitium sumebat, communi cum manipulariis cultu victuque utebatur. Humi cubabat plerumque sua involutus pænula, in deliciis habens si quid paleæ substerneretur. Progrediendum erat interdum per loca dumis obsita, aut uligine cænoque corrupta; sæpe in summo æstu diei (& erant tunc dies caniculares), sæpe largo decidente imbri. Has Odoardus itinerum difficultates alacri erectoque vultu perferebat, ita prorsus ac si, non in Regali domo natus educatusque, sed inter Montanorum labores pauperiemque innutritus fuisset. Commilitonum præterea singulos nominatim compellare, ad rem strenue gerendam voce & exemplo incendere, pecunia identidem large donare solebat. Quæ cum res late manarent in publicum, ex oppidis circumpositis nova quotidie agmina adventabant ultro offerentium se ad commilitium, ac nomen profiteri gestientium.

Londini interea eodem prope tempore auditum fuerat de adventu Odoardi, ac de Montanorum coitione, quam vero etiam majorem fama faciebat. Protinus Quatuor viri, qui fuerant summæ rerum impositi, de remedio cogitare, & ad restinguendam in ipso ortu flammam seditionis accurrere. Primum omnium Copeo Legato, qui rei bellicæ præerat in Scotia, mandant, ut contra perduelles (sic enim loquebantur) agmen expedi-

tum rapiat, nulloque eos consistere loco sinat. Namque opprimi facile putabant posse concitatæ multitudinis motum, ni glisceret sensim, ac in horam invalesceret. Et quia constabat, Stuardianis impares numero esse Regias copias, quantum militum conscribi potuit, tumultuario circa Londinum delectu colligunt, & ad eundem cum apto numero tormentorum transmittunt. Regiis itidem præfectis negotium dant, ut in suis quisque provinciis novum conscribant militem ad supplendum exercitum. Trevorio præterea, qui apud Batavos Legatione Anglica fungebatur, injungunt ut conatu summo reposcat subsidium militum, de quo antea convenisset. Id si impetraverit, deferri quantocius curet in Scotiam. Postremo Cumbriensium Duci, Georgii Regis filio, qui copias Anglicanas ductabat in Belgio, nomine Regni publico significant, e re publica fore, si Legiones aliquot peditum equitumque, ab exercitu fœderato deductas, quamprimum imponeret navibus, & patriæ periclitanti subsidio mitteret. Demonstrant extrema omnia imminere, & majus operæ pretium facturos hoc tempore Regios milites domi, quam foris. Quæ cum sedulo Regni administratores curarent, simul missis propere in Germaniam Tabellariis Georgium Regem de statu rerum certiorem fecerunt. Quibus autem litteris hæc nunciabant, rogabant quam maxime obsecrabantque eum, ut pro eo quanti faceret

salutem Regni, & Coronam suam, revolaret quam celerrime in Angliam, ubi tam dubio tempore magnum afferre momentum posset præsentia ipsius, sive revocandis ad obsequium rebellibus, sive cæteris in officio ac fide continendis.

Perculsus nuncio nec opinato Georgius Rex, vidit versari rem in ancipiti, eoque malum esse prolapsum; ubi extrema omnia conari oporteret. De Regno agebatur: Nihil itaque ad celeritatem reliqui sibi fecit. Et quamquam ægre Germaniam deserebat hoc tempore, cum maxime in comitiis Imperii Francofordiensibus novi electio Cæsaris tractabatur; tamen verius putans rebus suis domesticis consulere, quam alienis, negotium vel abrupit, vel celeriter confecit. Certe paulo ante quam Franciscus Lotharingus Romanorum Imperator solemni ritu salutaretur, in Angliam remigravit. Atque id modo unum ex omnibus, quæ Regni Anglici curatores præscripserant, prompte ac feliciter effectum est. Cætera lentius, nec satis prospere procedebant.

Copeus Legatus; quem Regiis imperitare copiis in Scotia dicebamus, accurrit celerrime, uti fuerat jussus, cum paucis, quas ad manus habebat, legionibus ad Tavum fluvium, quo contractos audierat Stuardianos. At comperto hostium numero, respectaque suorum paucitate, adeo non est ausus conferre signa, ut eorum nec aspectum su-

stinuerit. Converso itaque in Septentrionem agmine, proripiebat se, satis modo habens hostem post se trahere, ac tandiu saltem demorari, donec subsidia mitterentur Edemburgum, quæ Urbs, utpote Regni caput, multum intererat, ne imparata ad defensionem inveniretur. Callidum enim vero consilium, sed irritum. Copeum Stuardiani fugientem insecuti, ubi summotum procul viderunt, rati, id quod erat, nihil minus eum velle quam acie congredi, nec vero in pugnam trahi posse invitum, pedem retulerunt, transmissoque amne Tavo, Duncheldinum Perthiæ oppidum (castrum Caledonium prisci vocitabant) petierunt. Patentibus Odoardus portis excipitur. Atque hoc primum in Oppido protulit Jacobi parentis sui diploma, quo Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque summus administrator renunciabatur. Diploma e loco superiore recitatum est, cumque adesset frequentissimus populus, erupit ex promiscua multitudine læta vox, cunctis cum magno assensu acclamantibus, neque minus Jacobo Regi, quam ejus filio Odoardo fausta omnia comprecantibus.

Odoardus post hæc se Walliæ Principem, Regnique Rectorem appellari jussit. Quo ipse nomine ac potestate utens, veteres Duncheldini Magistratus exauctoravit, novos creavit, Institoribus quibusdam litteras liberi commeatus dedit. Hinc Perthum secundo amne veniebat. Venienti occurrit Perthen-

sium Dux. dynastes inter Scotos multarum opum, & obsequium detulit. Neque minus alii viri nobiles cum alis equitum armatorum obviam processerunt, eique se adjunxerunt. Perthum cum magna Populi gratulatione ingressus, post receptam in fidem Jacobi, obligatamque sibi civitatem, & quædam pro Imperio constituta, edictum affigi jussit, quo Scotiæ nobilitatem ad suas partes invitabat, spondebatque, si Regno pacate potiretur, effecturum se ut assurgeret denuo Scotia in eum dignitatis ac felicitatis locum, quo prius quam cum Anglia jungeretur fuisset. Quibus ita peractis, Dumblanum, quod Menthitiæ primarium est oppidum, cum omnibus copiis proficiscitur.

Dumblanum usque processerat Edemburgo Legio infesta equitum, quos Dracones appellant, sub Graduerio Tribuno, insederatque Fortheæ amnis ripam eo consilio, ut Stuardianos trajectu fluminis prohiberet. Et poterant sane Gradneriani nonnihil eorum impetum remorari, si loci opportunitate essent usi. Nam & missilia adigere poterant ex loco editiore, & Fluvius ob copiam rapiditatemque aquæ difficilem habebat vado transitum, neque tam subito efficere pontem in ore atque oculis hostium licebat. Tamen Montanos ut conspexere amnem ingressos, perque aquam mediam magno animo subeuntes, seu metu, seu desperatione victoriæ, terga dederunt, seque effuso cursu intra

Falkirchium oppidum receperunt. Sed neque hic constiterunt diutius, quam hostem cernerent ad teli jactum appropinquantem. Subierunt impavidi Stuardiani, Falkirchiumque obsistente nemine occupaverunt. Capitur deinde continenti victoriæ impetu Strivelinum (Herlingam alii vocant), Urbs munita, Sterlingensis provinciæ caput, quam etiam Gradneriani Urbem cum occupassent primi, post brevem moram Stuardianis insequentibus reliquerunt. In tantum tunc prævalente Odoardi fortuna, ut aspectu ipso, ac solo nominis terrore in fugam ageret Regios.

Multorum fuit opinio, Sradnerianos cum conjuratis tacite consentire, neque velle conserere cum iis manus, quorum ipsi inceptis faverent clanculum, & causam probarent. Alii contra prudenter, atque ex usu belli facere eos putabant, qui in tanta virium inæqualitate certaminis aleam detrectarent; quid tandem his parvulis præliis consecuturi, nisi ut Regni vires atterentur frustra, quæ meliori loco ac tempore magno esse possent usui? Quæcumque fuerit causa, de qua nihil constituere pro certo possum, Sradneriani locis omnibus fugam indecoram fecerunt, ac sensim recedentes usque Edemburgum, cum Draconibus Amiltonianis, qui ad custodiam ejus Urbis relicti fuerant, se conjunxerunt. Stuardiani contra vehementer elati, quod Regios ubique cernerent fugæ consilium capere, ac metum interpretantes, quidquid ab

illis relictum est spatii, impune obtinuerunt, donec Edemburgum usque progressi, in conspectu Regiæ Urbis castra posuerunt. Paulum extra Urbem processerant, atque opportuno ad repugnandum loco constiterant duæ, quas diximus, draconum legiones, excepturæ in aperto impressionem hostium, eosque aditu Urbis prohibituræ, quoad saltem advenisset Copeus Legatus, qui, cum Regio exercitu expectabatur, & magnas ad tuendam Urbem vires afferre nunciabatur. Eductæ pariter fuerant aliquot militum urbanorum Centuriæ, ac loco idoneo post legionarios collocatæ. Omnia ad acerrimam defensionem spectabant. Odoardus, per antecursores certior factus civitatem in armis esse, ac defensionem parare, succedit propius cum toto agmine, cohortatusque suos ut forti animo pugnam capessant, primam aciem immittit. Procurrerunt Montani agmine bipartito, atque incredibili celeritate; sed eorum adventum celeriore fuga Regii anteverterunt. Gradneriani dracones, Amiltonianique, qui stabant ex adverso in equis, ut cominus peti se viderunt, veriti ne medii interciperentur, ac receptu deinde omni intercluderentur, clamantibus frustra Tribunis ut rem fortiter gererent, animo conciderunt, ac ne primum quidem impetum incurrentium hostium ferentes, conversis incitatisque equis, longissime profugerunt. Quos cum Urbani Milites in fugam consternatos cernerent, præcipiti cur-

su

su pariter diffugerunt, atque intra Urbis mœnia se incluserunt. Ea re effectum, ut Odoardus spe citius, & incruenta victoria Edemburgum haberet in potestate. Præfectus namque Urbis, destitutam apto præsidio civitatem videns, ac posse tempori adesse Copeum desperans, re cum Magistratibus deliberata, prævertendum obsequio hostem censuit, deditionemque ultro faciendam, cum maxime imminerent victrices copiæ; ac siquidem vi irrupissent, omnem belli cladem illaturæ urbi indefensæ viderentur.

Deducto igitur in Arcem urbi imminentem præsidio, Legati designantur, qui nomine publico adeant Stuardiana castra, deque prona Edemburgensium voluntate significent Principi. Patere ei portas Urbis, dicant. Tantum postulare civitatem, ut certis subscribat conditionibus, de quibus transigendi facta sibi potestas esset. Excepti comiter Legati, auditi, dimissique fuerunt. Utrum de conditionibus convenerit, incertum. Illud constat, toto eo die, ac nocte proxime consecuta, stetisse in armis militum urbanorum cohortem, & ad mœnia excubasse, perinde quasi de repellendo hoste ageretur. Quod ita plerique postea sunt interpretati, noluisse Edemburgenses Odoardo se permittere, nisi vi intentata; idque respectu Georgii Regis, qui posset eos perfidiæ coarguere, si properantius quam necessitas ferret, Victori se tradidissent. Cæterum mane postero, sub primam lucem,

affuerunt ad portarum unam expediti Montani circiter mille, portam ipsam, diffractis facili molimine dejectisque repagulis, occupaverunt, perque Urbem impune discurrentes, urbanam militiam arma ponere coegerunt. Pacata mox civitate, subierunt militari ordine, plusquam militari modestia, Stuardiani reliqui ad quinque millia numero, ac nemine omnium vel leviter violato, in hortis Regii Palatii locum ceperunt. Postremus intravit inter delectos equites Odoardus, habitu ille quidem Montanus, sed egregia corporis specie, atque oris dignitate spectandus. Qui cum oblatas claves, & obsequia procerum in ipso aditu Urbis accepisset, per differtas populo vias in principale Palatium contendit. In foro, quod Regiæ despectant ædes, paratum fuerat pegma sublime, tapete phrygio instratum pulchre. Vocata huc multitudine, præconis voce denunciatur Populo, quem viderent Principem, ei parendum esse in posterum, fidemque obligandam, quippe Jacobi Regis filio, ac Regni administratori summo. Res ut compertior fieret, leguntur palam Jacobi litteræ, quibus Regni administratio committebatur ipsi. Legentem præconem summo silentio audiit frequentissimus populus. Secutæ deinde, tubis lituisque perstrepentibus, lætæ acclamationes superisque immortalibus vota facta, Jacobum ut Regem, ejusque filium Odoardum, sospitem esse diu ac florentem vellent.

Triduum post hæc Edemburgi fecit Odoardus, eoque temporis spatio videre licuit, quam alte apud Edemburgenses defixa esset Stuardiorum memoria, & caritas Principum. Etsi capitale futurum erat, si Georgius bello præpolluisset, plusculum obsequii quam præsens tempus posceret, Odoardo exhibuisse, eaque cogitatio plerosque ex prudentioribus absterrebat, ne in aperta gratulationis signa prorumperent, eminebat tamen insolens in omnium vultu lætitia; & quidam vulgo renitebat hilaritatis color, quem nullus satis comprimere metus poterat. Hærebant defixi gaudio; nec explere oculos tuendo quibant, cum reputarent Sobolem hanc esse eorum Regum, qui tot ante sæculis regnassent in Scotia, qui gentis nomen tantopere illustrassent, qui tot posteritati monumenta beneficentiæ reliquissent. Prope ut unum aliquem ex cælestibus geniis ad se divinitus missum contuebantur. Alii formam ejus mirabantur, oppido lætam atque præclaram, alii indolem excelsam ac liberalem, alii comitatem in agendo eximiam, alii virtutem bellicam prædicabant, atque hunc præ cæteris Regno dignum pronunciabant, qui Regnum, non sorte oblatum accepisset, sed fortunæ injuria negatum excellenti virtute repeteret. Senes, ut mos ejus ætatis, præteritum tempus memoria repetentes, memorabant, tunc enim vero beatam, tunc florentem fuisse Scotiam, cum Stuardii rerum potirentur. Non mite solum &

rectum, sed plane paternum eorum fuisse Regum imperium. Nihil tunc crudeliter, nihil cupide, nihil violenter, nihil per libidinem suscipi, decernive solitum. Omnia legibus, & more patrio regi consuevisse. Tributorum vero, & intolerabilium exactionum, quibus nunc populi fatigarentur, iis Regibus, nec nomen auditum. Quæ ad præsentis temporis conditionem referentes, pellebant tacite animos, ut ad hunc deficerent Principem, qui fortunam priscam renovaturus avorum suorum exemplo videretur. Hanc de se opinionem confirmabat, multisque partibus adaugebat Odoardus eximia prudentia, suavitate morum insigni, mira in admissionibus facilitate, in colloquiis humanitate, eo denique vitæ instituto, in quo nihil nisi modestum ac liberale, ab avaritia arrogantiaque alienissimum cerneres.

Fuit cum mirari præsertim licuit animum solius avidum gloriæ, rerum vero cæterarum, quæ humanis cupiditatibus dulci lænocinio blandiuntur, splendide incuriosum; quod etsi tenue videri possit, silentio non tegam. Unus quidam ex proceribus, dum familiari colloquio detinet Principem, sive assentandi, sive gratificandi studio, mirabatur quid esset, quod cum tam multæ obversarentur illi fœminæ, nec invenustæ, ad eas tamen ipse, quamvis juventa fervidus, ne obtutum quidem converteret. Odoardus ad hæc, montanorum unum immanioris corporis, qui

forte aderat, ad se vocans, mentumque ejus hispidum, & villosas genas leniter contrectans manu: En., inquit, quas me modo procari puellas decet. Pluris ego unum ex istis facio, quam quantum ubique mulierum, ac venerum est. Adeo mentem excelsam, magnisque gerendis rebus intentam, nulla præter gloriam illecebra proritabat.

Soli Odoardum aversabantur Calvinianæ Sectæ Ministri, quos Prædicantes vocant, neque dissimulabant, gravissimam sibi accidere præsentiam ejus. Natio nempe hominum Catholicò nomini plus nimio infensa, & odio Romanæ Ecclesiæ usque ad insaniam imbuta, Principem Romæ natum educatumque imponi sibi, iniquissimo ferebat animo; quem autem oderant ipsi implacabiliter, ei se sua conscientia interprete arbitrabantur odio esse, ac porro fore; & quamquam nihil palam audebant contra Victorem, & armatum, obmurmurabant tamen cœco fremitu, suasque sibi eripi Religiones quiritabantur. Hanc ut iis suspicionem eximeret, simul ut genus hominum turbulentum atque factiosum demereretur, edixerat Odoardus primo die advenrus sui, liberum unicuique fore sub novo dominatu quam mallet Religionem sequi. Quin etiam edicto significaverat, placere interea sibi, ut conciones, & precationum solemnia more solito peragerentur. Unam modo vetaverat rem, ne ante belli exitum pro Principibus indicerentur preces, nisi tacito eorum

nomine. Sed nihil magnopere profuit. Die insequenti, etsi adesset in fanis frequentissimus populus campani aeris pulsu convocatus, ne unus quidem Ministrorum ad concionem prodiit; quibus vel Urbe dilapsis, vel domi delitescentibus, tandiu sacra Rostra siluerunt, donec Edemburgum Georgio Regi recuperatum est. Ita mortalium pessimi, cum non auderent ciere turbas voce, silentio tamen ipso perfidioso & contumaci inclusam animis acerbitatem testatam faciebant.

Præter hos, quorum erant inexpugnabiles animi, expugnanda supererat Arx Edemburgensis, qua Regii adhuc milites Civitatem tamquam fræno continebant. Difficilem ea porro habebat oppugnationem, tum quod edito in colle posita, tum quod operibus probe communita. Adde quod firmo præsidio militum tenebatur, neque Stuardianis majora tormenta, machinæque obsidionales in promptu erant. Unum relinquebatur, ut arcem Odoardus fame premeret, vetaretque in eam quidquam importari utilium; quod si faceret, brevi in extremas angustias præsidiarii adigebantur, ac paucis diebus deditionem facere cogebantur. Erant namque ab omnibus rebus, quæ ad usum vitæ pertinent, imparatissimi vitio Prætoris, qui rapinas, incendia, ac miserandam Urbis direptionem a Montanis, velut a latronum infami globo, metuens, magis curaverat, ut tabularia publica, ærarium, magnamque cælati auri at-

que argenti vim, quæ ob opulentioribus comportabatur, in tutum reciperet, quam ut annonam, si forte toleranda esset obsidio, reconderet, haberetque ad longum tempus convectam. Neque id Odoardus nesciebat. Et nihilominus contra Arcem nihil hostile suscipiendum censuit, usitatam belli severitatem abstinuit, præsidio quin etiam uti cibaria inferrentur permisit. Extimuit, credo, ne præsidiarii, si victu prohiberentur, occasionem inde sumerent sæviendi in Civitatem, eamque tormentis everberandi, maluitque bene esse hostibus, quam sua causa vexari amicos; quæ in victoria moderatio notata passim, & collaudata vehementer est.

Is erat rerum status Edemburgi, cum subito nunciatum est, adventare cum exercitu Copeum, ac binis tantum castris ab Urbe abesse. Ea res, quod mirere, quietem publicam nihil turbavit. Magistratus, opifices, Plebs, Nobilitas, sua singuli munia pacate exequi perrexerunt, ut in magna rerum omnium securitate. Stuardiani contra milites, ut ad rei optatissimæ nuncium, gaudio efferri, exæstuare cupiditate pugnandi, oblatam aliquando tandem occasionem testandæ virtutis sibi gratulari. Nam ante hoc tempus hostem viderant sæpe, sed assequi fugientem nunquam potuerant. Princeps mane summo educit extra Urbem copias, ac de statu hostium per exploratores discit. Edoctus autem,

Copeum in lata convalle consedisse prope Præstonium Oppidum, ubi Forthea amnis in Bodotriam (æstuarium id est) influit, montem petit editum, unde in subjecta hostium castra prospectus patebat. Ea ut eminus conspexere Montani, clamorem dissonum sustulerunt, sive ut provocarent hostem, sive ut se invicem cohortarentur ad pugnam. Nihil sane impetratum est ægrius, quam ut ne statim ejicerent se in planitiem, ac prælium capesserent. Continuit eos Princeps, & expectare signum jussit. Tum speculatus locum, vidit a fronte peti Regios haudquaquam posse sine manifesta pernicie. Erat enim prætenta eis lata fossa, quam campestribus torme[illegible], certam necem longe jaculaturis, muniera[illegible]. Ipsi protecti aggere, & vix summo extantes vertice, conjicere e tuto poterant in apertos tela. Numerus ipse hostium ingens, & opinione major. Præter quatuor millitum Veteranorum millia, quibus egregii Duces, ac militiæ experientissimi præerant, tirones censebantur magno numero, partim Londino submissi, partim ab Angliæ Joparchis fidei ostentandæ causa ducti. Multi item ad partes venerant voluntarii, nullo nisi laudis pretio merituri. Hos Imperator in acie media collocaverat. Accesserant postremo Dracones Gradneriani & Amiltoniani, quos Edemburgo fugatos demonstravimus, hique aciei latera extrema tegebant firmabantque. Copeus intra munitionem continebat suos,

eosque stare in acie, atque hostem lacessentem opperiri jubebat.

His exploratis rebus, nihil tunc quidem Odoardus movendum censuit, sole præsertim in occasum inclinante. Consistere eodem in monte jubet exercitum, ac pacate noctem exigere; nam ut eum primi adorirentur Regii, non timebat. Mane postero, relicta idoneo loco suorum lecta manu, qui accessum ad Urbem Edemburgensem intercluderent hostibus, castra movet, progrediturque lato circuitu ad eorum dexteram, ubi æquatum interjacebat spatium, nihilque sibi incommodi afferebat loci natura. Tum in acclivi colle aciem instruit. Copeus, rem sibi esse sentiens cum hoste non solum impigro bellicosoque, sed militaris etiam disciplinæ non ignaro, fugam circumspiciebat, cogitabatque Edemburgum, facturus operæ pretium, ut sibi videbatur, haud leve, si Urbem regiam sine cæde ac sanguine recepisset. At, comperto obsideri viarum fauces, quibus necessario permeandum erat, ab hostium stationibus, ne simul a fronte atque a tergo appeteretur, mediusque interciperetur, obvertere frontem maluit, ac decretorii certaminis fortunam experiri. Steterunt ergo ex adverso directæ acies, modico spatio interjecto. Stuardianorum cornu dexterum Perthensium Dux, lævum Georgius Murrajus regebat, ambo prolegati, in acie media curabat ipse Odoardus; qui suos alloquens, ac nudatum ensem osten-

tans: Ego quidem, inquit, vaginam projeci, neque eam recipere nisi bello confecto consilium est. Macti jam estote vos viri fortissimi, atque ita decertate, ut quibus nulla spes salutis nisi in virtute sit. Si vincimus, gloria, libertas, opes, victoriæ fructus & merces erunt. Certum contra mihi vobisque exitium, si vincimur. Videte quid vestra intersit, & si me ita amatis, ut ego vos, si Scoti estis, nec a virtute majorum degenerastis, genus vestrum ac fidem hoc primum experimento probate. His dictis incensi animi sunt, & exstimulata virtus in tantum, ut cum pugnæ signum clangentibus tubis increpuit, non milites in hostem, sed leones in prædam ferri viderentur.

Excepti telorum horrenda grandine, quæ majoribus minoribusque tormentis effundebatur, licet prosternerentur multi, non continuerunt gradum propterea, neque de ardore primo remiserunt. Strictis ordinibus subierunt, & parem missilium numerum conjecerunt, eo certiore tamen ictu, quod ex propinquo jaculabantur. Sauciis cadentibusque integri succedebant. Projectis deinde humi ferreis tubis, distringunt gladios, atque inconditum vociferantes, hostem cominus aggrediuntur. Impressionem Regii nec ad punctum temporis sustinuerunt. Laxatis, turbatisque ordinibus, quo quemque metus, & spes salutis impellebat, effugium quærunt. Instant Stuardiani, fugientes palatosque fe-

L

rociter contrucidant, magnam occidionem faciunt. Totum prope exercitum internecione delebant, nisi Odoardus, qui inter primos acerrime dimicaverat, conscenso propere equo, accurrisset in omnem partem, suosque pro imperio continuisset ne ultra sævirent. Tunc demum sanguini est parcitum, & militum furor compressus. Sed compressus licet, non omnino deferbuit. Turma equitum Regiorum receperat se in vicinum collem, constiteratque ibi velut secura periculi, atque extra ictum. Viderunt aliqui e montanis, neque cohiberi ullo modo potuerunt, ne ad eos inde pellendos properarent. Qua in re tantam simul audaciam celeritatemque adhibuerunt, ut supervenerint prope improvisi, eorumque celerrime licet aufugentium, agmen extremum carpserint.

Hoc exitu prælium illud furiale confectum est, quo prælio soli Stuardiani pedites (nam equitatus nullam certaminis partem attigit, sed spectavit tantum, paratus cæteroqui accurrere in omnem casum), soli inquam pedites Stuardiani multo majorem numerum peditu equitumque Regiorum profligaverunt, insigni victoria, & magna commendatione virtutis. Ex omni Stuardianorum numero desiderati milites gregarii tantum triginta, ac duces quatuor, præter octoginta circiter saucios. Regiorum cæsi quingenti amplius, vulnerati nongenti, mille & quadringenti capti, reliqui in fugam acti. Arma, commeatum,

atque omne belli instrumentum victores tulerunt. Inter profugos numeratus Copeus ipse Imperator, qui, ut proclinatas res suorum vidit, e media pugna dilapsus, profugisse dicitur ad littus proximum; atque inde in bellicam navim haud procul stantem in anchoris evasisse. Cæterum Odoardus, etsi parta victoria lætus, non elatus tamen, neque intemperanter insolescens; primam curarum intendit ad curanda sauciorum vulnera, qui multi inter mortuos jacebant, ac manus miserabili specie tendebant. Misit proinde Edemburgum, & ad oppida circumposita, qui Chirurgos quam possent plurimos conquirerent; adducerentque ad exercitum. Procuratis sauciis, ac per valetudinaria distributis, ne quod omitteret misericordiæ officium, comportari in prægaltam fossam cadavera, atque humo desuper ingesta tumulari jussit. Demum preda onustus & gloria; ovante milite ac plaudente, revertitur Edemburgum, quarta quam inde excesserat die nondum exacta.

Prinsquam hæc agerentur, consenserantBatavici Magistratus, ut ad compescendam Scotiæ seditionem mitterentur in Angliam sex militum millia, quæ Legatus Anglicus pro veteri utriusque gentis societate ac fœdere; ut supra dictum est, poscebat. At deliberantibus unde peti milites possent, & statum Reipublicæ circumspicientibus, non alii occurrebant in præsens, nisi ii, quos nuperrime Galliæ Rex Tornaco, aliisque Belgii ar-

cibus depulerat, ac certis sub conditionibus liberos, more nunc inter Principes recepto, dimiserat. Milites istos quam minimo sibi incommodo Batavi subtrahebant. Ea namque dimissi fuerant lege, ut toto biennio neque contra Galliam, neque contra quemquam ex ejus sociis ac fœderatis arma ferrent, neque demum ulli ex Principibus Galliæ adversis ubicumque locorum stipendia facerent. Qua lege efficiebatur, ut eo temporis spatio ad nullum adhiberi officium militiæ possent, nisi forte, ut ipsi arbitrabantur, in Scotia, & contra ejus Regni perturbatores, quorum successibus licet maximopere delectaretur Galliæ Rex, negabat tamen eorum causam ad se ullo modo pertinere. Decernitur itaque transmissio istorum militum in Angliam. At dum expediuntur iis trasportandis naves, Orator Gallicus Abbas a Villa dari sibi Senatum petiit; quo impetrato, intercedere consilio nuper inito, ac de Senatu Batavico graviter expostulare cœpit, quod rem incæptaret parum honestam, neque se atque æquitate sua dignam. Desiderari in ea re fidem publicam, quæ apud omnes gentes sanctissima esse debeat, contendebat. Milites dedititios, sola Regis Galliæ liberalitate atque indulgentia fuisse Reipublicæ condonatos, qui cum posset quam optimo jure subjicere eos sibi, ac vinctos in Galliam abducere, honoribus & libertate donatos excedere permisisset; at impositam a Victore conditionem ne milites ita

dimissi Galliæ hostibus militarent; servari omnino oportere, neque Potentissimum Regem laturum ut violetur impune.

Perculit consessum oratio acris, libera, ac minarum plena. Ad intercessionem responsum est, frustra Senatui Batavico crimen violatæ fidei quæri in eo negotio, quod non sine accurata consultatione susceptum fuisset. De militibus deditis duas fuisse res abs Rege Galliæ præscriptas. Alteram, ne contra ipsum, ipsiusve socios & amicos adhiberentur. Alteram, ne cuivis Principi Gallis adverso militarent intra annos duos. Neutram ex conditionibus in eo, quod nunc ageretur, infringi. Stuardium certe Principem, contra quem milites adhiberentur, nullo fœdere, nulla, quod constaret, societate innexum Galliæ esse, neque commisisse adhuc Ludovicum Regem æquissimum, ut tam nefariæ perduellionis fautor putaretur, aut particeps. Georgium Angliæ Regem, cui subservire hæ copiæ viderentur, esse quidem, ut in aperto bello, inimicum Galliæ; at non hoc nomine mitti ad eum milites; ut auxiliares ejus sint, sed ut communem utriusque gentis causam agant nomine ac stipendiis Reipublicæ. Non itaque sub Anglorum imperio futuros, non eorum ductu bellum gesturos, sed agmine separato, sed propriis sub signis, propriisque sub Ducibus militaturos. Sic illi rem composuerant scilicet; sane subtiliter, sed, si vera loqui fas est, magis ex usu forensi, quam more Prin-

cipum, neque tamen satis apposite, ut plerisque visum est, ad tegendam prævaricationem pactorum. Quo responso depulsam abs se omnem violati juris infamiam arbitrati, obtestante frustra Legato Gallico, & atrocia, nisi incœpto absisterent, denunciante, quos dixi milites, uti constituerant, in Angliam miserunt. At non sibi verba dari passus est Ludovicus Rex, nec fucatis, speciosisque rationibus acquievit. Ut indignationem testatam faceret, Oratorem continuo suum Haga comitis jussit abscedere, ne salutatis quidem Reipublicæ moderatoribus; quod nunquam fit, nisi in aperta offensione. Tum læsum jus, non vanis verborum contestationibus, sed durioribus factis vindicare aggressus, ea movit, quibus coacti ad extremum sunt Batavi stare pactis, quosque miserant in Angliam milites ad se retrahere. Sed hæc infra referemus.

Secuta interea est Prestoniana pugna, quam felici admodum eventu pugnatam ab Stuardianis vidimus. Ea victoria cum multis partibus constabilita videretur Odoardi potentia, incredibiles animorum inclinationes tota Scotia sunt factæ. Pleræque Civitates nuncios ad eum miserunt, & in ejus fidem se contulerunt. At Londini trepidatum perinde est, ac si adesset jam hostis victoria ferox, intentaretque Urbi indefensæ estremam vim. Continuo Georgius Rex cogi utriusque ordinis conventum jubet. Tum superveniens

ipse, quo sint loco res prolixa oratione docet. Magnam factiosorum manum, qui facinorosi omnes, flagitiisque cooperti, ac legibus rei essent, fraudulentis sermonibus circumventam, spe prædæ ac rapinarum illectam, externis patrociniis fultam, agglomerasse se Juveni audacissimo, quodque deterius, Catholico ac Romano, qui cum esset ex ea familia, quam olim Regni ordines justis de causis in perpetuum extrusissent, auderet tamen Regium nomen ac jus in Scotia usurpare, ac Regni tyrannidem affectare. Satis superque perspici quo valerent Stuardii juvenis turbulenta consilia. Alumnum urbis Romæ & Regis Galliæ mancipium, quid velle aliud posse, quam ut Angliæ Religionem jam tot annis florentem subvertat, Angliam vero ipsam Galliæ vectigalem faciat? Atque initio quidem licuisse insanæ multitudinis motum aspernari magis quam cavere. Nunc vero, cum seditiò multum invaluerit, audaciamque, ac vires prosperis rerum successibus indepta sit, summa ope connitendum ne ultra gliscat. Secandum ulcus exitiale, igni ferroque medendum pesti, quæ latius grassaretur in dies, & quadam veluti contagione serperet. Certam toti Regno perniciem imminere, nisi malo remedium præsens adhibeatur. Id petere, id porro sperare se ab Regni Ordinibus, quorum erga se studium, fidem, ac benevolentiam tot haberet argumentis perspectam. Cæterum, adjecit, nisi im-

imperii mei vos piget, si gratæ vobis, quod non temere sperare mihi videor, tot illæ curæ, quas pro salute communi, ac pro vestra potissimum dignitate suscipere nunquam destiti, vestrum est efficere, ut factiosos consilii male soscepti pæniteat, reliqui vero Anglicani nominis adversarii suo cum dedecore intelligant, frustra peti in sua Sede Regem, quem auctoritas legum, quem sua innocentia, quem favor populorum ac studia tueantur.

Relationem Principis cum magna gratiarum actione Ordines exceperunt. Ad petitionem, non solum uti rogas miro assensu sciverunt, verum etiam curæ sibi fore dixerunt, ne Regis Optimi salus ac dignitas in periculum adduceretur, neque se permissuros, ut quidquam circa statum Reipublicæ novaretur. His non contenti quidam ex opulentioribus, quo fidem insigniorem facerent, novas Legiones ære suo privato scribi mandarunt, in eumque statim usum grandem pecuniæ summam repræsentarunt. Cujus tam profusæ voluntatis hanc puto præcipuam fuisse causam, quod Galliæ Rex tanto intercessisset opere, quominus subsidia Hollandia deferrentur in Angliam. Inde enim multi conficiebant, consentire eum aperte cum Stuardio, atque id modo agere, ut quando Romano Imperio amicum imponere Principem nequivisset, saltem amicum, sibique obsequentem Regem imponeret Angliæ. Sed quæ

demum fuerit causa, fit raptim Senatus Consultum gravissimis conceptum verbis, compescendos totis viribus perduelles, Regni possessionem Georgio liberisque ejus conservandam; hos in usus quanto opus sit ex ærario publico conferendum: secundum hæc, novi ut scribantur milites, perque Oppida frequentiora delectus ut habeantur, edicitur. Londini, quoniam suspecta erat multorum fides, augetur numero militare præsidium, jubeturque dies ac noctes in armis esse. Ad obstringendos sanctioribus vinculis animos, coguntur Magistratus novum obedientiæ Sacramentum Georgio Regi dicere. Ad hæc, præter Hollandos, qui jam ad Angliæ oras appulerant, aliæ atque aliæ ab exercitu Belgico evocantur Legiones, ex Hassianis, Danis, Helvetis, Hannoveranisque, qui Reginæ Hungariæ merebant stipendiis Anglicis. Summus copiarum Imperator constituitur Cumbriensium ipse Dux, Georgii Regis Filius, Juvenis ingentis animi, cujus & multis experimentis probata virtus, neque dubia erga Patrem fides. Ei ut relinquat continuo Belgium, acceleretque in Angliam, injungitur. Interea temporis, ut illa erat cura præcipua, ne conjurati ex Scotia in Angliam transilirent, ad fines utriusque Regni contrahuntur, tum quos dixi Batavi auxiliares, tum Regiæ Legiones, capitum ferme duodecim millia numero, atque his Wadeus Legatus præficitur cum mandatis, ut Stuardianis ex

adversum vadat, sique penetrare conarentur in Angliam, eos vi summa repellat. Postremo quia ex Gallia Hispaniaque submitti clanculum ad Stuardium subsidia militum atque pecuniæ dicebantur, & Galliæ Rex graviora etiam moliri certis rumoribus ferebatur, præter terrestres, maritimæ expediuntur vires, ac naves bellicæ plures sub idoneis Præfectis ultro citroque commeare jubentur secus littora Scotiæ.

Quæ dum Londini consulebantur, Odoardus, Scotia pene omni in potestatem redacta, in eo erat totus ut urgeret bellum, proferretque Imperii fines in Angliam, atque ipsam Anglici Regni sedem peteret. Concilium creaverat Edemburgi Juri dicundo præpositum, penes quod summa rerum potestas & arbitrium esset, adiectis in eum cætum gravissimis quibusque, & honestissimis Civitatis. Hujus auctoritate concilii pecuniæ populis imperabantur, & in ærarium Principis inferebantur. Ipse exercitum conquisitis undique supplementis augebat, reique frumentariæ prospiciebat. Post sesquimensem in his explicandis rebus positum, dimissis quaquaversus frumentatoribus, qui annonam in castra convectarent magno item equorum & carrorum numero ad vehiculationes comparato, nonnullis demum levis armaturæ cohortibus ad itinerum securitatem præire jussis, circa dimidium Novembris Mensis egreditur Edemburgo, & in Angliam tendit, habens

sub signis millia capitum, ut vulgatum est, plus minus duodecim. Mirum accidit multis, Principem nihil sine consilio aggredi solitum, non adjecisse prius animum ad expugnandam, vel obsidione, vel fame arcem Edemburgensem, neque magnopere pensi habuisse, quod eam urbem incustoditam, ac præsidio destitutam relinqueret. Arcem quoque Strivelinensem multi capi prius ajebant oportere, & intempestivam putabant Anglicam expeditionem, nullo adhuc occupato Scotiæ propugnaculo, omniaque obtinentibus munita loca hostibus. Neque id ipse non videbat. Sed spe majora præcipiens in Anglia, & rerum summam in festinatione ponens, deperdere in his tempus & vires noluit, duas nimirum res, quarum est in bello jactura gravissima, ac sæpe irreparabilis. Ut magis festinaret faciebant promissa Gallorum, qui cum Classem validissimam magno strepitu comparassent in portubus Galliæ, qui ad Oceanum spectant, quamprimum supportaturi auxilium ferebantur, & in dies singulos expectabantur. Forte etiam facile recuperandam Scotiam, etiamsi amitteretur, censuit, populis erga se optime animatis; & utrumvis eveniret, nunquam defore sibi tutum in Scotiæ montes receptum confidebat.

Tuedam recta amnem petiit, Scotiæ Angliæque limitaneum, nullo hostium occursu retardatus. Wadeus enim Regii exercitus Imperator, etsi magno progredi animo institue-

rat adversus eum, excusata subito lue nescio qua pestilenti; quæ grassaretur in castris, Neucastliæ constiterat in provincia Nortumbriensi, neque ultra processerat. At illud interea accidit perincommode, quod Edemburgum a Regiis receptum est, cujus conditionem urbis secutæ nonnullæ Civitates, ad Georgii obsequium pariter redierunt. Rem ita factam tradunt. Copeo in ordinem redacto, armorum in Scotia præfecturam acceperat, Handasidius Legatus ac nuperrime Bervicium oppidum insederat cum Anglorum legionibus quatuor, non tam ut inferret, quam ut defenderet bellum. Is ut audiit Stuardianos Edemburgo digressos, ac longe summotos, quodque vix videbatur credibile, nihil relictum in Urbe Præsidii, eo Legiones adducit haud longo itinere, & confestim urbs venienti deditur. Nulli tunc quidem Edemburgensium fuerunt injectæ manus, ne iis quidem, qui erant conspirationis comperti; id quod arbitror prudenti consilio cautum, ad præcidendas tumultuandi causas, ac ne tranquillitas urbis eo tempore maxime necessaria turbaretur. Cæterum magna rerum commutatio facta. Restituta vetus regiminis forma, Magistratus pristini ad sua munia revocati, refixa Odoardi Edicta, quidquid ipse sanxerat inductum prorsus atque abolitum, attonitis metu civibus, ac ne hiscere quidem audentibus. Notabile cum primis visum, cum hactenus sacrificuli, præconesque sectæ pu-

blico abstinuissent, eos per hanc occasionem e suis latebris prorupisse quasi lymphatos, compressamque diu facundiam denuo fanis omnibus exercere cœpisse, adeo copiose, ut viderentur diuturni silentii damna velle redimere paucis diebus.

Hæc ad Odoardum delata, tametsi molesta acciderent, nihil moverunt eum ne porro pergeret institutum sequi. Transmisso flu-vio Tueda, quo terminari Scotiam Angliamque diximus, progreditur ad occidentem solem, penetratque se in Cumbriam, provinciam Angliæ maritimam, e regione Hiberniæ sitam. Occurrebat ad Ostia Itunæ amnis Carleolum (antiqui Luguvallum vocabant) oppidum Provinciæ primarium, Castello, ac militum Præsidio munitum. Hoc si oppidum suum faceret, & Arce potiretur, præterquam quod sedem continuo fixam ac stabilem haberet intra Angliam, videbatur sibi præclaram præterea famam anticipationemque virtutis, id quod in bello multum interest, adepturus, & pulchro facinore expeditionis primordia illustraturus. Ob eam rem, & quia tale relinquere a tergo asylum hostibus periculo non vacabat, admoveri exercitum, ac cingi Oppidum jubet. Oppidani exterriti, Nuncios de deditione confestim miserunt, ac portas aperuerunt. Præsidiarii contra intra Arcem se incluserant, videbanturque magno ac forti animo obsidionem toleraturi. Sed ubi hærere ad vallum hostes, comportare scalas,

& vim extremam parare senserunt, ferociam pariter posuerunt. Ne tamen transegisse dicerentur cum perduellibus, pro eo ut deditionem facerent, captato loco ac tempore, occulte excesserunt, arcemque vacuam reliquerunt. Wadeus inter hæc, quem hærere Neucastliæ demonstratum est, de Carleoli obsidione ac periculo certior factus, commoverat se cum Regio exercitu, veniebatque magnis itineribus, suppetias arci laboranti laturus. At properanti nunciatur in ipso itinere, frustra fore opem, quia nimis seram. Carleolum esse jam in hostium potestate, Arcem a Præsidiariis, non ut dignum fuerat defensam, sed turpiter desertam fuisse. Quo ille Nuncio perculsus, continuit parumper gradum. Post sua per vestigia Neucastliam repetens, exercitum in priora castra reduxit.

Carleolo occupato, priusquam ulterius progrederetur, circummisit Odoardus in omnem late regionem litteras Edemburgi impressas; quibus, quemadmodum prius Scotos, ita nunc Anglos ad obsequium Jacobi parentis sui vocabat. Erat autem litterarum eadem ferme sententia, nisi quod Anglos admonebat, ne ludificari se ultra paterentur vanis Papismi, & arbitrariæ dominationis nominibus, aliisque id genus terriculamentis, quæ ad sustentandum iniquissimum potentatum aggereret Georgii Brunsvicensis ambitio impotens & insana. Deponerent aliquando tandem opiniones male præjudicatas. De Religione, ne-

que se, neque Jacobum Patrem quidquam moturos, sed quod in Regni comitiis olim constitutum fuisset, aut constituendum in posterum videretur, integrum usque ad supremos apices intactumque relicturos. Id eo dicebat, qnia ex hoc præsertim capite conflari sibi invidiam sciebat, quod esset ipse eximie Catholicus, & Pontificiam potestatem reducturus in Angliam putaretur. Deinde quia multi familiam Stuardorum criminabantur hoc nomine, quod tota Regis Galliæ esset, eaque criminatione odiosam genti faciebant. Multo minus, addebat, existimare debetis, nos adeo Regi Galliæ devinctos mancipatosque esse, ut ad ejus magis nutus voluntatesque, quam ad vestra commoda, & ad dignitatem Imperii nostri respecturi simus. Ut multum debeamns Galliæ, non plus tamen post firmatam potentiam tribuemus, quam Regem deceat, eumque Anglum. Vestra vobis eximere vincula, non nova superinducere consilium est. Ad me quod attinet, testes ipsi estis, me, non Gallorum suffultum opibus, non eorum classibus deductum in Insulam advenisse, sed una navi, sine milite, sine pecunia, cum septem tantum domesticis; ut intelligere potueritis, venire me sola fretum bonitate causæ, sola populorum æquitate benevolentiaque armatum. His ego armis, Deo protegente, Scotiam universam subegi, & in fidem Parentis mei recepi. His expugnandam speravi etiam Angliam; qua quidem spe

ductus, oblata ab Hispaniæ, Galliæque Regibus subsidia perdiu rejeci. Quod nisi Georgius Brunsvicensis ad tuendam malam causam, quam publico gentis judicio damnatam videt externas opes auxilio vocasset, certum erat ea nunquam admittere. Nunc vero cum intra Angliam, non Anglos solum cives meos, sed Batavos, sed Hassianos, sed Helvetos, sed Hannoveranos, aliosque aliarum gentium homines armatos contra me videam, cur ego verear externis externos opponere? Cur non liceat mihi copias auxiliares unde unde adsciscere, exemplo æmuli ac rivalis mei, tanto cæteroqui potentioris? Id equidem vos æqui bonique consulturos spero. Cæterum sic habete, vestras vobis opes, libertatem, ac jura, quæcumque ea sint, integra semper ac salva fore, neque nos recusaturos quidquid Regni ordines ad publicæ rei commoditatem dignitatemque decreverint, ratum habere, comprobare, & amplecti. Id ego, cum meo, tum Jacobi Patris nomine persancte juro.

Literas claudebat gravissima obtestatione, ut præteritarum offensionum, si quæ forte inter nationem Anglicam Regiamque familiam intercessissent, nulla jam quæstio nec mentio fieret. Se quidem, ajebat, pro potestate sibi a Jacobo Rege facta, veterum ac recentium injuriarum, quibus Regium nomen ac jus tandiu, tam atrociter violatum fuisset, omnibus gratiam facere; at vicissim petere, ut si quo

suo merito majores sui gentis indignationem incurrissent, id ex omnium mentibus eraderetur, & conditioni temporum condonaretur. Satis eos gravem malefacti, si quod admisissent, pœnam luisse, qui Regno fuerint exturbati, atque extra communem patriam ejecti. Descendisse acerbissimam animadversiosionem ad liberos, nepotesque eorum, qui licet innoxii, annos jam septem supra quinquaginta extorres, inopes, in luctu & squallore vitam ærumnosissimam traherent. Nullum ne statuendum atrocissimæ vindictæ modum? Nunquam ne placandam Anglorum iracundiam? Nunc tempus ut sua singulis tribuantur jura, componantur ex æquo & bono dissidia, suus Regno Princeps, suum Principi reddatur Regnum, veterum conquestionum memoria penitus obliterata.

In hanc sententiam conceptæ erant litteræ, quæ ut vulgi manibus teri cœptæ, vix credibile quam alte in animos multitudinis penetraverint. Vel ex eo licuit agnoscere; quod cum Odoardus haud multo post Carleolo eduxisset exercitum, & secundum oram maris Hibernici progredi instituisset, quocumque itum est, venienti occurrebant ultro Populi, beneque eum ac feliciter advenire lætis acclamationibus testabantur. Tamen, ut ne quid dissimulem, nobilitas haud magnopere commovebatur, nullamque popularis lætitiæ partem attingebat. Sacrorum vero Ministri, & Religionis Antistites, obloqueban-

tur potius indignatione libera, & populum a talibus retrahebant. Locis Odoardus omnibus potestatem exercebat, tributa imperabat, in verba Jacobi Regis ut juraretur curabat. Carleolo egressum excepit Candalia, parvum Westmariæ oppidum, quod Kenio amne subluitur. Lançastriam inde venit, urbem cognominis provinciæ caput, qua in urbe paulum moratus, in Cestriensem comitatum concessit, transgressurus inde, ut putabatur, in finitimum Principatum Walliæ, qui longo tractu porrigitur ad oram maris; sed in sinistram repente partem, qua sol oritur, conversus, ac mediterranea Regionis ingressus, iter direxit in Darbiam. Cujus consilii quæ fuerit ratio, infra disseremus.

Per hæc Aulam Londinensem multa sollicitam habebant, ac vehementer angebant. Obversabantur conjuratorum progressus rapidi ac felices, apparebatque ad eos remorandos, aut non satis virium, aut, quod deterius, parum voluntatis in Regiis militibus Ducibusque esse. Seditionis flamma ipsam corripuisse Angliam videbatur, & jam stridor, ut ita dicam, incendii e proximo exaudiebatur. Quid vero si accederet propius? Quid si Regiam quoque Urbem afflaret? Id si accideret, plus pene quam malum ipsum, mali remedium timebatur. Londini enim, ut in urbe populosa ac libera, æstuabant otiosorum crebra conventicula, studia partium flagrabant; & erant qui publicis, privatisque ser-

monibus præsentem dominationem liberius carperent, quorum æque periculosum videbatur dicacitatem compescere, atque impunitam dimittere. Ille deinde suberat metus, ne propinquitate rebellium insolescerent rerum novarum cupidi, easque cierent in visceribus Regni turbas, quæ sedari non possent sine civili sanguine, & clade Reipublicæ. Super hæc metum augebant Regis Galliæ occulta consilia, quæ ad invadendam Angliam spectare videbantur. Eum certe constabat, quæcumque hactenus obtendisset, Stuardio nomini favere impense, neque ægre laturum si Princeps tot nominibus Galliæ addictus Regni Anglici hæreditatem caperet. Velle autem nunc ejus causam aperte suscipere, vehementia confirmabant indicia. Tamdiu in variis ditionis portubus, quos Oceanus alluit, insitati fiebant apparatus armorum, & navium. Casleti, Boloniæ, Dunquercæ, Brestæ, extruendis instruendisque majoris formæ navigiis insudabatur. Promptuaria complebantur, nautarum ingens numerus pretio conducebatur. Quorum vero hæc, nisi esset in Angliam expeditio navalis constituta? Nuperrime ab urbe Roma fuerat evocatus in Galliam Henricus Eboracensium Dux, alter Jacobi Regis filius, ferebaturque continenti itinere in Armoricam properasse, atque ibi prorsus, ubi navales apparatus maxime perstrepebant, consedisse; quo tandem consilio, nisi ut cum Gallicis copiis immigraret

in Angliam, & fraterna incœpta proveheret?

Sed dubitationem postremo omnem præcidit Rex ipse Galliæ, edita in publicum declaratione non ambigua, qua se Odoardi Valliæ Principis socium fœderatumque appellabat, ejus vero hostes, quicumque ii, atque ubicumque gentium essent, in suorum se hostium numero habiturum pronunciabat. Huic occasionem rei Batavi præbuerunt. Nam Ludovicus Rex ingentem, uti diximus, irarum molem conceperat contra Batavos, propterea quod milites dedititios ex Belgicis Præsidiis depulsos, contra quam conditionibus cautum esset, Georgio Regi auxilio misissent. Injuriam ut quoquo modo redimeret, Hollandis negotiatoribus omni interdixerat Gallia, vetus commercii jus, quod erat ea tempestate quæstuosissimum, edicto abrogaverat, nonnullas etiam eorum naves onerarias in Gallicis inventas portubus interceperat, ac fisco addixerat. Cum ne sic quidem pervincere potuisset ut milites revocarentur, huc ad extremum descendit, ut fœdus palam percuteret cum Stuardio, futurum sperans, ut hac una re frangeretur Batavorum pertinacia, quam honeste excusare ultra non possent, simulque Anglis haud leve negotium exhiberetur. Id eo visum consultius, quod nulla jam suberat causa tegendi fœderis multo antea initi. Nam ante hoc tempus verendum erat, ne Anglorum contra Gallos

odia, quæ tunc maxime crudescebant, in immerentem Principem derivarentur eo tantum nomine, quod Gallis diceretur innexus; eaque propter Ludovicus Rex, etsi Principi conjunctissimus animo ac voluntate erat, ejusque incœpta occultis subinde subsidiis adjutabat, tamen dissimulandum censebat vinculum societatis. Amicus quia vere erat, amicitiam celabat de industria, ne noceret. Nunc vero cum sola Gallicæ amicitiæ suspicio (neque enim occultari satis potuit) innoxio Principi fraudi esset, multique ex Anglis ob hanc unice invidiam ab ejus partibus averterentur, recte statuebat Ludovicus efficiendum sibi, ut non minus prodesset ei in posterum aperta Galliæ amicitia, quam hactenus amicitiæ suspicio incommodasset. Et vero profuit initio plurimum, coactis Batavorum Legionibus abscedere Anglia, eoque multum imminutis hostium viribus. Quod si initiis cœtera consensissent, quantum assequi conjectura licet, qui causa vincebat, acie non vincebatur. Sed accidit sæpe ut promissa exsolvere ne potentissimi quidem Reges possint.

Ludovici Regis quam dixi professio excepta litteris pervasit quam celerrime in Hollandiam, inde in Angliam, nec est dictu facile quantam utrique genti perturbationem attulerit. Deliberantibus Batavis, quærentibusque inter se quid facto esset opus, venit improviso in Scotiam cum aliquot militum

Hibernorum centuriis Johannes Drummondius, Perthi Ducis frater, qui Legionis Hibernicæ Tribunus erat in Gallia. Is inter sexcentas Anglorum naves elapsus, cum appulisset Celurcam (est id Oppidum maritimum in Angusia, & vulgo mons rosarum dicitur), ictum inter Ludovicum Galliæ Regem, & Odoardum Walliæ Principem fœdus promulgare non distulit; quoque latius spargeretur, publicas ea de re litteras circummisit, quibus litteris, quamquam modicum ipse agmen duceret, se tamen Gallicarum copiarum Imperatorem in Scotia summum nominabat, hujusque fiducia nominis bellum internecinum denunciabat iis, qui contra Odoardum sumpsissent arma, nisi male sumpta confestim ponerent. Litteræ ipsi ut traderentur Mauritio Comiti Nassario, qui Batavis auxiliaribus præerat, curavit, eique nunciari a se jussit, nisi mallet feralem belli facem accendi inter Rempublicam suam, Regemque Galliæ potentissimum, staret pactis Tornacensibus, nullaque interposita mora excederet cum suis Insula. Quid ad minacem denunciationem responsi dederit Nassarius, haud satis constat. Batavi quidem certe milites post paucos dies Anglia demigraverunt, & ad suos portus redierunt. Quorum deinde loco Senatus Batavicus, ut Georgio Regi fidem quoquo modo præstaret, Hassianis totidem bello Stuardio adhibendis stipendium decrevit.

Cum ergo nullus relinqueretur ambigendi

locus de voluntate Regis Galliæ, multa erat deliberatio Londini, utri prius occurrendum malo videretur, externo ne an interno? Nam eodem tempore imminere dicebantur cum validissima Classe Galli, & Odoardus cum formidabili exercitu in interiora Angliæ properabat, & Londinum ipsum caput rerum petere videbatur. Post multa in utramque partem jactata, vicit sententia eorum, qui dividendas censebant inter utrumque periculum Regni vires, partem vero maximam educendam adversus Odoardum, hostem quippe in sinu positum, eoque magis metuendum. Gallorum enim adventui obstare multa posse, procellas, ventos, aliasque maritimorum itinerum vices. Et etiamsi minus munita invenirentur a defensoribus littora, tam multas ad eorum custodiam vigilare bellicas naves in freto Anglico, ut hosti facilis non esset futurus accessus. Cum hæc decernebantur; venerat jam accitu Patris ex Belgio Dux Cumbriensium, & præcipuum exercitus Belgici robur secum advexerat. Is igitur cum maximis Regni copiis prodire in aciem jubetur contra Stuardianos. Ei Georgius Pater ut rei summam defendat, ut Regnum labans tutetur, etiam atque etiam mandat.

Cumbriensis, Juvenis natura fervidus, & laudis appetens, nihil optabat avidius, quam cum Odoardo conferre signa, & servati Regni gloriam ferre. Negotium itaque alacri suscipiens animo, progreditur summa celeritate

tate in Essexiam, quo contractæ loco fuerant Regiæ Legiones. Odoardus Congletoni consistebat in Cestria, inde in vicinam transgressurus Walliam, cum audit, Regios ad Stonam usque amnem progressos in tantam propinquitatem venisse, ut passuum abessent millia vix decem. Ratus hoc advenisse animo ut acie decertarent, contrahit copias, mutatoque ex occasione consilio, pro eo ut in Walliam tenderet, agmen convertit ad Stonam. Prælium omnino faciendum arbitrabatur, sed fefellit illum sua opinio. Cumbriensis, etsi numero multum præstabat, seu metu, seu militari prudentia, pedem retulit, ac celeri gradu retrocessit millia passuum triginta usque Conventriam· Stuardiani contra porro progredi perrexerunt, atque ad Darbiam castra transtulerunt.

Odoardus, qui tam subitum prævalidi hostis receptum non sperasset, cum & Darbiam haberet in potestate, & Londino vix leucis triginta abesset, in spem debellandi erectus, vocat militare consilium quodque jam pridem intra se consilium coquebat, summis Ducibus deliberandum proponit, ut Londinum traducatur exercitus. Prior ipse elocutus, insistendum ajebat hostium vestigiis, dum viderentur metu exanimati, ac rebus parum fidentes suis. Nam si recedere pergerent usque Londinum, præterquam quod daretur sibi facultas accedendi ad eam urbem impune, futurum facile ut Londinensium multit sibi aci-

te consentientes a Georgio deficerent palam, cum se propinquum, armatum, ac Victoris specie subeuntem cernerent. Sin obvertere faciem mallent, ac de summa rerum ferro decernere, perinde fore sibi prælium, ad quod aliquo demum loco deveniendum esset; in hostico facere, atque in suo. Hoc tamen commodius in hostico, quod si quid accideret durius, nihil sibi propterea deperiret de Scotia, qua una salva, nunquam deesset facultas ducendi, aut redintegrandi belli. Contra, si faveret fortuna, prælio fortasse uno, atque una die confici negotium posset. Nihil profecto negotii fore Londino potiri, Curiam atque Aulam opprimere, Regnum denique universum ad obsequium cogere; cæso semel exercitu Regio, quo uno Georgii spes omnis & imperium staret. Sic ille censebat. Eandem in sententiam multi e Concilio inclinabant.

Verum alii, ejus rei mentionem ipsam respuentes, superos hominesque testes faciebant, si ruere ipse vellet in voluntarium interitum, se consilium ejus, quod plenum temeritatis esset, sequi magis posse quam probare. Hoccine insaniæ ajebant, ut prælii unius incerto eventui committantur omnia? Quid deinde inconsultius, quam conjicere ultro se in regionem inimicissimam, ubi hostis maximas habeat vires, easque exerturus omnes sit? Hoc fortasse consilio Cumbriensem tam præcipitem receptum simulasse, ut Stuardianos futuri improvidos in casses traheret, &

victoriæ spe exultantes opprimeret. Si denique tantæ sunt nobis vires, inquiebant, ut cum aliqua spe victoriæ dimicare possimus, cur non opperimur Gallorum auxilia, quibus superadditis certa victoria sit? Reponente ad hæc Odoardo, longam videri sibi auxiliorum expectationem, quæ cum in dies singulos supportanda dicerentur, re nunquam ipsa advenirent, subjecit Murrajus (erat is Principi a Secretis, & summæ apud eum auctoritatis: postea proditor, ut alibi referemus, fuit) minime esse dubitandum, quin Galliæ Rex promissa præstaret. Prorogari auxilia ob usitatas maris difficultates posse, deesse omnino non posse. Censere tamen se, non ad Orientalem Regni oram, sed ad oppositam, utpote minus custoditam, dirigendas abs Gallis proras, exscensionemque faciendam. Addidit; donec advenissent ii, sapienter facturum Principem, si munito aliquo loco contineret exercitum, expectaretque magis hostem lacessentem, quam lacesseret. Carleolum proinde ut repeteretur suadebat, qui locus cum esset magno munitus opere, & ad occiduam Angliæ plagam situs, hanc præter alias haberet opportunitatem, ut ex eo auxiliares Gallorum copiæ excipi commodius possent, ac citius. Id non modo utile, sed necessarium videri, quando tam procul a Scotia, sive ob paucitatem amicorum, sive ob inopiam ærarii, penuria laboraret exercitus, deesset frumentandi facultas, omnia fie-

rent in dies difficiliora. Videret ipse jam quid interesset sua. Verumtamen utilibus ne anteferret speciosa, neque æstu juvenili, sed consilio, sed recta ratione bellum esse administrandum reputaret. Ita Murrajus loquebatur, ejusque adstipulari sententiæ major consilii pars videbatur.

Ægerrime inducebat animum Odoardus, ut cessim gradum flecteret, abrumperetque rerum satis belle fluentium cursum. Movebatur cum primis facti ignominia, quam certe apud multitudinem consiliorum ignaram non effugeret, cum præsertim prævideret futurum, ut Cumbriæ Dux, qui paulo ante refugerat insequentem, nunc recedentem insequeretur. Cessit tamen consiliantium auctoritati, qui sine Gallico milite nihil periculosius suscipiendum judicabant. Cum itaque Londinum contendere temerarium, progredi Orientem versus supervacaneum, hærere Darbiæ otiosum, atque adeo detrimentosum putaretur, retro abire cœpit quamvis invitus, ac viam peractam relegens, ex Darbiensi Provincia iterum se recepit in Cumbriensem: optimo ille quidem proposito, sed exitu, ut infra constabit, parum felici.

LIBER TERTIUS.

Fefellit Odoardum fiducia, quam habebat in Gallorum adventu repositam. Diu enim expectati nunquam advenerunt adversitate ventorum, ut ipsi vulgaverunt, prohibiti. Atque illi quidem affuturi in dies singulos videbantur. Convenerant quippe Dunquercæ ex Belgico exercitu Legionarii milites ad duodecim millia numero præter Classiarios. Eodem ex multis Galliæ navalibus deductæ fuerant onerariæ amplius centum & quinquaginta, quibus ad navigationis præsidium justus bellicarum numerus erat adjunctus. Aderat Richeleus Dux, summus expeditionis Præfectus designatus. Aderat Dux Eboracensium, Odoardi frater, ac naturali actus cupiditate visendi adjuvandique fratris, profectionem urgebat. Sed quamquam in promptu erant omnia, impositisque in naves epibatis de explicandis quotidie velis agitabatur, re discessum est nunquam. Et fato nescio quo eveniebat, ut in quamcumque diem fuerat indicta profectio, eo die Classis egredi portu prohiberetur, vel cadentibus, vel reflantibus ventis, vel præter modum exæstuante Oceano.

Quod reputantes rerum prudentiores, haud temere suspicari sibi videbantur, ventorum ac tempestatum obtentu arcani aliquid tegi, quod qualecumque fuerit, si quod vere fuit, nunquam ad liquidum compertum est. Ea certe res sermonibus multis ac variis materiam præbuit, qui sermones tota eo tempore exaudiebantur Europa. Alii instratum cum viderent Anglorum navibus mare, & ipsa pene ostia Dunquercani portus obsessa, extimescere Gallos earum occursum navium putabant, neque velle Classem tanto sumptu comparatam in discrimen adducere. Alii satis magnam afferri opem Stuardio Principi dictitabant solo apparatu tantæ expeditionis. Cogi enim Anglos vires dividere, ac partem copiarum non exiguam, quibus obrui Stuardiani possent, per littoralem oram habere dispositam, ad incursionem externi militis propulsandam. Id perinde esse ad rem præsentem, ac si duodecim armatorum millia in Angliam devecta expositaque fuissent. Alii denique Gallorum fidem defensabant, cum dicerent, etiamsi Classis Dunquercana nunquam solveret, nonnulla fuisse pridem Odoardo submissa navigia, plura in posterum submittenda: Has autem transvectiones militum parvas, ac separatas, ut minore conficerent strepitu, haud minorem ipsi utilitatem afferre, ac tandem instar unius maximæ transportationis futuras. Sic ea de re homines, pro suæ quisque habitu mentis, existimabant. Quidquid id esset, de quo ni-

hil constituere pro certo possum, unum ego habeo dicere, multo rectius futurum fuisse Odoardo, si aut missa aliquando Classis, aut promissa nunquam fuisset. Tanti sane expectatio auxilii effecit, ut iret in sententiam defendendi sui potius, quam lacessendi hostis; quo semel inito consilio, labi res, inclinarique cœperunt.

Statim atque Odoardus castra movit ex Darbia; Dux itidem Cumbriensis exercitum deduxit ex Conventria, hostemque pone sequi instituit incredibili festinatione; qua re effectum ut versæ crederentur vices, cum ille fugientis, hic insequentis speciem haberet. Opinio quantumvis falsa, ut rerum specie ducuntur homines, magnam rebus commutationem attulit. Principio in utroque exercitu mutati valde sunt militum animi, & pro diversa quam præferebant fortuna, aut dejecti metu, aut spe confirmati. Tum apud vulgus alia de Odoardo mens, alia judicia, quod in ipso statim itinere licuit agnoscere. Viam licet eandem legeret, qua paulo ante venerat, & easdem reviseret Civitates, non eundem reperiebat habitum animorum erga se. Qui Victoris ritu venientem exceperant cum magno honore, redeuntem ea properantia, quæ fugæ proptor quam receptui videretur, aspernabantur. Eundem multi metu instantium Regiorum, qnorum erat potentia formidolosior, illiberaliter repellebant. Adeo mobilia sunt mortalium ingenia, & pro even-

tuum varietate, eorum quoque variant affectiones, & studia. Hoc deficientis fortunæ indicium, hoc specimen primum fuit, ex quo licuit augurari, Stuardianorum res difficili futuras deinceps loco, atque in deterius prolapsuras. Partem sane spei maximam constituerat Odoardus in populorum voluntate, quibus abalienatis, ipse ab ærario inops, ingravescente annona, hostibus insequentibus, neque consistere usquam, neque gerere bellum poterat. Sed alia mox graviora acciderunt.

Clistonii, atque Penrithi, quæ duo sunt Oppida Provinciæ Cumbriensis, collocaverat Odoardus suorum aciem extremam, ad remorandum impetum insequentium Regiorum, donec ipse cum reliquo agmine Carleolum attigisset. Montani iis in Oppidis censebantur ad duo millia, viri omnes probatæ virtutis ac fidei, qui nunquam ante hoc tempus hostium aspectum extimuerant, ipsos quin etiam sæpe fugaverant; tamen, ut nunciatum est abesse propius Cumbriensem cum Regio exercitu, montani subito pavore correpti fugæ consilium ceperunt, ac locum turpiter deseruerunt, præclare secum agi putantes, quod non instaret a tergo hostis, sed spatium recipiendi sui sibi permitteret. Eos Cumbriæ Dux ne ultra insequeretur est retardatus, partim Cœlo summe nimboso, partim defatigatione suorum; huc enim magnis itineribus venerat. At eorum consternationem ex tam præcipiti fuga interpretatus, quam pri-

mum promovere castra statuit usque Carleolum, quo se Oppido hostes incluserant. Simul ergo ac machinæ, ac tormenta obsidionalia, quæ lentius subvehebantur, in promptu fuerunt, eo traducit exercitum, & in conspectu Urbis castra facit.

Odoardus, cognita suorum fuga, cum simul annonæ inopia premeretur; & adesse hostem intelligeret cum eo apparatu, qui ad obsidionem spectaret, pendebat animi quid consilii caperet. Abunde esse militum sentiebat ad tuendam urbem atque Arcem, at deesse frumentum ad sustentandos diu milites dolebat. Qnidquid deinde fieri placeret, faciendum e vestigio videbat, cum spatium consultandi non daret celeritas hostium. Adhibitis ergo in tumultuarium consilium primoribus Ducum; alterutrum proponit, aut promptum in Scotiam receptum, aut decretorium certamen. Nihil esse medium demonstrat, quando obsidio tolerari nullo modo queat, alimentorum penuria. Duces, qui Gallorum auxilia nondum desperassent, ac semel animo defixissent, ante eorum adventum discrimen adire ultimum non oportere, colligenda vasa judicant, deserendam Angliam, vires integras in Scotiam transferendas, ubi, ut in regione amica, & maxime frumentaria, trahere bellum, distinere hostem, ac vincere aliquando etiam liceret. Tantum ut Arx Carleolo insidens apto præsidio teneatur, censent. Quæ cum sententia

Principi probaretur, ad Kalendas Januarias, ineunte anno MDCCXLVI, qui annus Odoardo ob calamitatum memoriam notabilis in omne posterum tempus erit, Carleolo Stuardiani excesserunt, seque trans Tuedam flumen denuo in Scotiam ejecerunt.

In Arce relicti præsidio fuerant milites circiter quadringenti, commeatu atque omni belli copia satis commode instructi, iisque erat injunctum, nihil ut reliqui facerent ad defensionem, neu vero ullis conditionibus dederent se, nisi extrema prius omnia essent experti. Id de se Gubernator, id gregarii milites adpromiserant miro consensu. Sed promissorum fidem non servarunt. Dux Cumbriæ, admoto ad urbem exercitu, cingi Arcem vallo, comportari aggerem, produci machinas jubet; quæ res, quamquam ex mœnibus omne telorum igniumque missilium genus accideret, celeriter administratæ fuerunt. Tum defensoribus denunciat per Tibicinem, nisi continuo Arcem tradidissent, lege actum iri in eos tanquam perduelles, & adversus Principem contumaces. Risit initio Gubernator minas, neque una vocula id genus Arces, atque ita communitas oppugnari dixit, sed magno conatu, sed multo sanguine, & longa obsidione, cujus deinde exitum nemo præsagire certo posset. Superbo responso efferatus Regius adolescens, suis innuit ne differant, quatere mœnia tormentis muralibus. Biduum tenuit sæva jaculatio, qua cum mu-

rorum pars lacerata hiatum ingentem aperuisset, Præsidiarii malo perterriti, actumque de se, si hostis vi irrupisset, rati, Gubernatorem circumsistunt, jubentque verius quam rogant, ne pergat stolida ferocia victorem acerbius irritare, & malam causam inutili contumacia facere deteriorem. Videat magis an voluntaria deditione placare iratum Principem, & æquas ferre conditiones queat. Victus oratione Gubernator tolli velum album jubet, stipulationis faciendæ indicium, & colloquium petit. Vicissim Cumbriæ Dux Tibicinem mittit cum Centurione, qui quærat ex eo, num in priore sententia persistat? Arcem prolixe offerebat Gubernator, obsides se daturum spondebat. Unam poscebat rem, ut de conditionibus transigeretur. Cui Centurio indignanti similis, Principem cum Rebellibus nequaquam pacisci dicit. Ponant arma statim, excedant Arce, Regis clementiæ se permittant. Cum nihil medium relinqueretur inter promptam deditionem, ac certum exitium, illud primum Præsidiarii maluerunt, atque imperata fecerunt.

In hunc modum recepta est Arx Carleolana, qua una Stuardianæ factioni dempta, nihil ei relinquebatur intra Angliam. Lætus successu Cumbriensis, urbem triumphantis in morem ingreditur. Oppidanos pœnam perfidiæ deprecantes benigne suscipit, patronum se illis apud Regem Patrem, deprecatoremque pollicetur. Mœnia Arcis, qua parte fue-

rant tormentis convulsa, tumultuario opere refici sarcirique imperat. Præsidium in ea aliquot Cohortium sub Blighio Præfecto collocat. Tradito demum exercitu Hawleio Legato, datoque ei negotio, ut Stuardianos intra Scotiam insectaretur, ipse Londinum regreditur, rerum abs se gestarum rationem Patri explicaturus, quidque deinceps opus facto esset cum Regiis Ministris deliberaturus.

Carleolo amisso Odoardus, quamquam erat viribus magnam partem accisis, inclinatione fortunæ nihil deterritus, acceptum in Anglia detrimentum sarcire in Scotia studebat. Superatis vado amnibus, qui plures intercurrebant, exercitum deducebat per loca Regni aspera atque montuosa, quo difficilis hosti esset accessus. Ex itinere pecunias civitatibus imperabat, vecturas describebat, annonæ copiam colligebat; quæ tamen res malignius nunc præbebantur ac parcius, seu quod refrixerunt mora, ut ferme usu venit, studia populorum prima, seu quod incerto belli exitu, certam facere fortunarum jacturam pigebat. Glasquum cum devenisset, quod præcipuum est oppidum Provinciæ Glotianæ, videns, nisi munito aliquo loco constitisset, nihil sibi tutum ab insequentibus Regiis fore, adjecit animum ad oppugnandam Strivelini Arcem, id sero & incommodissimo aggressus tempore, quod multo ante factum oportuit.

Ars Strivelinensis Castellum est operis per quam magnifici, censeturque inter ædificia Scotiæ splendidissima. Insidet amni Forthеæ, cujus aqua sublnitur. Amnem jungit pons vetustns ex lapide, atque hinc in arcem ex urbe est aditus. Arcem tormentis curulibus permunitam, & commeatu abundantem, cum valido præsidio obtinebat Blakeneius Legatus, Anglus ferox, belli peritus, & fidei erga Georgium Regem incorruptæ. Obsidione igitur deliberata, progreditur Odoardus in territorium Arivelinense, & e Regione Urbis castra facit. Partem de suo corpore sub Ludovico Gordonio mittit Perthum, Gordonioque ut operibus oppidum communiat, mandat. Partem aliam Lindi collocat, quod Laudoniæ Provinciæ oppidum est inter Edemburgum ac Strivelinum situm; quod ita fieri necesse erat, ne suggredi Edemburgo possent Regii ad disturbandam obsidionem. Atque his ita explicitis rebus, denunciat Strivelinensibus, sibi ut urbem tradant. Nisi fecerint, parato sint animo ad excipienda durissimæ obsidionis incommoda. Biduum restiterunt Cives, partim voluntate, quod erat Stuardio nomini subinfensi, partim respectu Regiorum, qui cum Edemburgi consisterent frequentissimo agmine, quamprimum urbi laboranti supportatuti auxilium ferebantur. At posteaquam circumvallari urbem, intercludi subvectionem utilium, se fame premi, & duriora quædam parari senserunt, prævalente præsentium ma-

lorum impatientia, portas aperuerunt, ac se Principi subjecerunt.

Potitus urbe Odoardus, ad oppugnandam Arcem applicabat se, & jam producere opera munitionesque instituerat; Cum audit adventare Edemburgo hostem, suorum autem Stationem, quam Lindi collocaverat, loco dejectam atque exturbatam fuisse. Eo nuncio abrumpere tantisper oppugnationem cogitur. Sed hujus facti seriem agnoscere pretium est. Hawleius Legatus, cui traditum exercitus Regii Imperium docuimus, Carleolo cum discessisset, relictis Stuardianis, quorum assequi celeritatem non licebat, venerat breviore via Edemburgum, eodemque convenire jusserat copias Wadeanas, earum accessione firmaturus exercitum. Nam Wadeum ipsum Rex exauctoraverat, & ad dicendam causam rei male gestæ Londinum vocaverat. Hinc cognito Arcis Strivelinensis periculo, Strivelinum cum omnibus copiis accurrebat, sive ut Stuardianos obsidioni intentos opprimeret, sive ut opem ferret arci laboranti, in eamque militum saltem manum recentem induceret. Dum appropinquat Lindo, Stuardiani milites, qui ad ejus custodiam loci fuerant collocati, diffisi paucitati suæ, ne numero hostium obruerentur, fugam fecerunt, seque Falkirchium oppidum, novem ferme millibus passuum a Strivelino, receperunt; quod consilium, etsi in ejusmodi casu reprehendendum non fuit, tamen hostes alacriores effecit, quod non sine

summo timore ac desperatione id factum videbatur. Hawleius, quod prudentiæ fuerat, ignaviæ tribuens, & eandem fore omnium conditionem pro certo sumens, suos bono esse animo jubet; brevi debellatum iri confirmat. Tum occupato Lindo, ac nocte vix una copiis ad quiescendum concessa, iterum proficiscitur. Lindo recta erat Strivelinum via. Ipse deflectit ad lævam per Falkirchium, ut hoc oppido, quod erat Stuardianis per opportunum, ex itinere potiretur.

Odoardus, qui nisi Falkirchium retineretur, actum censebat de obsidione Strivelinensi, huc jam processerat cum toto exercitu, neque solum præverterat hostium adventum, sed locum prælio opportunum ceperat, idque tam prompte, ut cum advenit Hawleius, staret ipse acie ex adverso instructa, & ad repugnandum parata. Nihil expectabat minus Hawleius, quam ut eo certandum loco esset. Re subita perturbatus, tamen legiones disponit, cohortaturque suos ut forti animo pugnam capessant. Signo dato, procurritur utrinque in prælium. Enim vero licuit agnoscere, quantum præ numero valeat audacia, & ardor militum. Regios, qui minimum, ad quindecim millia fuisse tradunt. Dimidio fere minor Stuardianorum numerus erat. Tamen, ut ferro depugnari cœptum, is Regios incessit pavor, ut qui erant in prima acie equites, irruentium Montanorum ferocia conterriti, fugam respexerint statim, ac terga dederint.

Frustra Hawleius, qua voce, qua objectis peditum cohortibus, & minis incussis, demorari fugientes conabatur. Diffugere nihilo secius, perque obstantes suorum globos irrumpere perrexerunt, multos equorum ungulis protriverunt. Diffunditur mox ad peditatum coeca formido. Totus momento exercitus proturbatus, atque disjectus, tanquam Cœlum rueret, aut terra sub pedibus dehisceret, præcipiti fugæ se mandat, nescias utrum insigniori clade, an ignominia. Cladem Stuardiani, fautoresque eorum, sane luculentam, ac paulo etiam majorem vero faciebant, cum dicerent, desideratos eo prælio fuisse ex Regiis quadringentos supra mille, partim interfectos, partim captos. Ignominiam ne ipse quidem obtegere Hawleius potuit, qui cum Lindum continenti impetu repetisset, fremens frendensque tantam sibi plagam imponi ab infami, ut loquebatur, latronum agmine potuisse, eadem die, etsi largus decideret Cœlo imber, collectum ex fuga militem, & adhuc trepidum, Edemburgum reduxit, qua in re tantam adhibuit festinationem, ut neque spatium habuerit efferundi tormenta castrensia septem, quæ cum magno tentoriorum numero Lindi reliquit in potestate victoris.

Repulso hoste, Lindo recepto, ac nova ibi Statione militum collocata, Strivelinum Odoardus redit, intermissamque arcis obsidionem resumens, funiculos, aggerem, vineas, & quæ Præsidiatii dejecerant opera reficere insti-

stituit: At quæ res meliorem factura videbatur ejus fortunam, ut mira est bellorum inconstantia, rerum post hæc deteriorum initium fuit. Fama prælii Falkirchiensis, quam maturrime Londinum delata, persuasit Aulæ, nequaquam consenuisse, ut sibi fingebant multi, seditionem in Scotia. Georgius cum primis Rex inexpectato eventu perturbatus, factique culpam rejiciens in Harwleium, revolare ad exercitum jubet Cumbriensem Ducem, quo absente hebescere viderentur militum animi. Ille rumpit moras, atque Edemburgum proficiscitur. Quem copiæ reducem, sibique denuo imperantem ut conspexere, dici vix possit quæ subito facta sit animorum commutatio. Scires quantum intersit, qualis bellum administret Imperator, & quantum in Imperatore valeat opinio quædam inusitatæ virtutis. Sola Regii Principis præsentia militem confirmavit, inflammavitque sic, ut qui paulo ante Stuardianorum nomen ipsum reformidabant, nunc pudore simul atque ira incensi incitarent se se, nihilque optarent cupidius quam conserere cum iis manus, & præteritæ fugæ labem eluere novo experimento. Cumbriensis occasione ac tempore utens exercitum ita animatum educit Edemburgo, progrediturque directo Strivelinum itinere.

Nondum hoc præterito tempore Odoardus arcem expugnaverat Strivelinensem, partim quod foeda imbrium vis per eos dies effusa opus interruperat, partim quod libratores

tormentorum habere dicebatur parum peritos, & quod denique pugnacissime resistebat Blakeneius Præfectus, & vim summa constantia repellebat. Erat præterea ipse ab omnibus rebus, quæ ad vitæ usum pertinent, flagitiose comparatus ob alienatam voluntatem civium, qui Regiorum propinquitate freti, neque commeatu, neque alia quavis commoditate illum juvabant, neque dicto audientes erant. His de causis, & quod certis nunciis cognoverat, nonnullas ex Galliæ portubus solvisse naves, quæ sibi militum & pecuniæ subsidia deferrent, celeriter convasandum statuit, & adventum hostium antevertendum. Collectis itaque sarcinis, frumenti quod potuit avehens, reliquum flumine aut igne corrumpens, locum simul obsidionemque deserit, ac Perthum bidui itinere migrat. Perthensibus utebatur amicissimis, & erat oppidum nonnulla munitione instructum, ut facile repellere hinc hostem, si vellet, posset. Tamen cum deesset facultas explicandæ annonæ, quæque reflorescebat Gallici auxilii spes trahendum bellum suaderet, post unum Perthi diem quiescendi causa positum, iterum se dat in viam, deliberatum habens in Borealem Scotiæ plagam evadere trans amnem Speam, ubi magnum sibi esse numerum Clientum amicorumque norat, neque defore ad bellum gerendum necessaria confidebat.

Pertho cum abiret, exercitum divisit in partes tres. Partem unam, quam ex auxilia-

ribus Gallis Hibernisque conflatam Drummondius ductabat, deflectere jussit ad orientem solem, ac per Celuream secundum oram maritimam progredi Aberdoniam usque; quod oppidum jacet ad ostia Deæ Fluvii in Marria Provincia. Ut est ea ora maxime portuosa, huc appulsura sperabat, si forte adveherentur, Gallorum auxilia; atque omnino interesse sua existimabat; ut ne nimium abesset a mari. Alteram, in quam conscripti erant collecti ex planitie milites, Præfecto Fabrum tradidit cum machinis castrensibus, atque omni impedimento. Huic similiter ut tenderet Aberdoniam, injunxit, sed alia via, quam fore per Duncheldinum expeditissimam, docuit. Tertiam ex meris Montanis deducendam ipse sumpsit inter montes Atholiæ. Si quid enim adversi incederet, carere nolebat facili in montes effugio.

Ita gradiente Stuardianorum exercitu, Strivelinum Regii devenerunt. Dux porro Cumbriæ, collaudato vehementer Blakeneio Legato; quod arcem egregia fide, atque excellenti virtute defendisset, & refecto ponte, qui consulto ad retardandam obsidionem fuerat interscissus, sequi hostem ad extremos usque Regni fines parat. Magnam ea res habebat difficultatem, cum propter iniquitatem itinerum, quæ erant ea tempestate ex toto corrupta, tum quod durissimæ iis itineribus subvectiones erant; Ipse autem secum devehere cogebatur impositum carris pabulum com-

meatumque ad plures dies: Si quid enim in locis, quibus eundum erat, inveniretur provisum, id omne qui præibant hostes absumebant. Neque non intelligebat Cumbriensis, cum tanto impedimentorum numero tardius sibi fore incedendum, quam ut ullo adipisci loco hostem jam longe submotum, ac celerrime progredientem posset. Sed Juvenem ingentis animi, & gloriæ cupientissimum, nulla magnopere difficultas deterrebat. Stimulos addebat Odoardi exemplum, quem æmulum conditione generis, ac juventa parem, viribus opibusque inferiorem, præferri sibi fortitudinis laude non ferebat.

Duæ nonnihil sollicitum habebant eum res: Altera, quod Stuardiani vulgo profecti dicerentur ad excipienda Gallorum subsidia. Nam hunc ipsi rumorem dissipaverant de industria, ad continendos in fide populos; quam confirmare opinionem videbatur, quod eorum magna pars declinasset ad mare. Altera, quod diversi incederent, ac divisis agminibus. Id eo erat molestius, quod neque suas dividere ipse vires volebat, & verebatur ne postea quam longius post eos processisset ex una parte, illi subito flexu regrederentur ex alia, & quidquid cis Tavum possederant, recuperarent. Quos si ipse iterum ex his locis depulsum recurreret, illi recederent rursum, perque itus reditusque quoties necessitas posceret iteratos, bellum ducerent, se ac Regium exercitum pulchre ludificarent. His ut

occurreret malis, duo providet. Binghium, Anglicæ Classis Præfectum, per litteras admonet, ab Orientali Scotiæ latere ne abscedat; sed ultro citroque præternavigare pergat: In primis ad ostia portuum ut excubet, nec navigium ingredi ullum egredive sinat, nisi exploratum probe, & excussum. Deinde quæ relinquebat a tergo loca, præsidio militum communit. Utque advenerant forte per eos dies Hassiani ad sex millia numero, quos in locum Batavorum suffectos diximus, exscenderantque ad Litham, Laudoniæ oppidulum, eos inter Perthum, Edemburgum, Strivelinumque tribuit. Friderico autem Hassiæ Principi, qui suas ipse copias regebat, iis ut in locis consistat quasi hiemandi causa, mandat. Atque his ita constitutis rebus, dat profectionis signum, & in Septentrionem castra movet.

Perthum recta oppidum venit: Cujus quia loci Dominus Perthensium Dux Stuardio Principi militabat, hoc nomine comprehendi matrem ejus, fœminam spectatissimam; & in Arcem Edemburgensem deportari jussit. Quo loco non omiserim, alias plures illustrium matronarum per eandem occasionem fuisse captas, & in custodiam traditas. Quæcumque enim viros liberosve in Stuardianis castris haberent, in suspicionem vocabantur initæ cum rebellibus conspirationis, tacitæ saltem consensionis insimulabantur. Quæ cum severitas eas, quæ vere in culpa tenebantur, affecis-

set metu, multæ de se ultro confessæ, clementiam Regis imploraverunt; aliæ tamen præstanti animo, & plusquam fœminea virtute, palam ad Odoardum defecerunt, in ejusque deinceps castris equo merere cœperunt. Mirabile exemplum, & ad memoriam posteritatis insigne, si quid esset hujus generis rarum, aut magnopere admirandum in Scotia. Cæterum Cumbriensium Dux, cum statuisset ea potissimum insequi Stuardianorum agmina, quæ per oram maritimam instituerant iter, Pertho Celuream, hinc Aberdoniam contendit. Quocumque adventabat, exierant Stuardiani jam, ac longe processerant: quos proinde adipisci nusquam potuit, licet vestigiis eorum insisteret incredibili celeritate. Sed cum denique progressurus ad Speam, eumque transmissurus amnem putabatur, seu quid deesset necessarii, seu commodiorem anni tempestatem ad bellum gerendum opperiretur, præter omnium opinionem hibernare statuit Aberdoniæ, satis modo habens quod tuto in loco consisteret, nec nimio intervallo distaret ab hostibus.

Odoardus interea ad Speam flumen devenerat, eique reliqua duo agmina se adjunxerant ex Aberdonia. Ad ripam Speæ, qua parte amnis Badenacham provinciam secat, surgebat propugnaculum (Buthvenum indigenæ vocabant), haud magni illud quidem operis, quod tamen si a tergo relinqueretur, facultatem præberet hosti trajiciendi quoties colli-

bitum esset fluminis, ulteriusque excurrendi. Vidit Odoardus quid haberet incommodi, eaque propter ad illud oppugnandum adjecit animum. Admotis machinis, & quibusdam immissis ollis incendiariis, citius quam sperabat Præsidiarios coegit arcem tradere: quam cum inutilem sibi, Regiis contra magno futuram usui arbitraretur, injectis continuo flammis incendit. Amnem post hæc transducit exercitum. Relictis autem suorum duobus millibus, qui munitione extructa ripam custodirent, prohiberentque trajectu hostem, Innernium proficiscitur.

Innernium urbs est ob frequentiam nobilitatemque incolarum Scotiæ Borealis facile Princeps, munita eadem, & portu gaudens non incommodo ad æstuarium Moraviæ. Urbi Præsidio erat cum tribus fere millibus militum Loudonius Legatus, qui si intra mænia se teneret, ac meræ defensionis consiliis insisteret, facile futurum non erat Odoardo Civitatem ad deditionem cogere: Sed homo laudis avidus plus aliquid suscipiendum existimavit. Processit in apertum cum toto agmine, neque tamen audens luce palam congredi cum Stuardianis, quos & numero superiores, & bello exercitatissimos sciebat, virium ut inopia suppleret astu, incessit aviis itineribus noctuabundus eo consilio, ut ex insidiis adoriretur castra eorum, jacentesque, ac somno sepultos opprimeret. Dum accelerat, jamque albescit dies, casu factum est, ut

qui præibant antecursores, quosdam offenderent Stuardianorum, qui longius a castrorum septo vigilias agebant. Tollitur utrinque clamor, ignitæ utrinque disploduntur glandes balistis. Expergiti fragore subito Stuardiani, colligunt se se, arma raptim expediunt, totis castris procurrunt. Loudonius dejectum se sua spe sentiens, simul suorum consternatione perterritus, receptui confestim canit, festinabatque cursu incitato occupare Innernium. Sed cum lato ipse circuitu advenisset, antegressi qui propius aberant Stuardiani, medium interceperunt, neque solum aditu urbis excluserunt, verum etiam salutem præcipiti fuga quærere coegerunt. Ægre ex manibus insequentium elapsus est. Elapsus tamen, concessit cum agmine male multato in Rossiam, inde in Sutherlandiam transiit. Postremo Cromartium cum venisset ad oram maris, hinc maritimo itinere ad Regium exercitum se recepit. Loudonio amoto, Odoardus, conversa contra Innernium acie, urbem incustoditam ritu Victoris ingreditur.

Innernio impositum est propugnaculum, natura loci atque opere satis firmum. Huc Loudonius Stationarios milites introduxerat fere bis centum. Addiderat Annonæ copiam, cæteraque ad tolerandam obsidionem necessaria. Odoardus, hoc delecto loco, in quo Prætorium suum, ac sedem armorum stabilem collocaret, cingi arcem, applicari machinas jubet. Tacto vix aggere, externam munitio-

nem cepit, arcem ipsam intra biduum habuit in potestate. Nihilo difficilius post dies novem propugnaculum sibi subjecit, quod Augustum appellant, in finibus Loquabriæ. Sed hujus oppugnationem arcis casus fortuitus juvit. Structa enim munitione, dum mænia tormentis everberantur, atque ollæ intro incendiariæ jaciuntur, ex his una incidit forte in receptaculum pulveris bellici. Eo casu flammam momento concepit sulphurea materia, prægrandesque saxorum moles huc illucque propellens, ædificium ea parte dejecit, qua ruina coacti sunt præsidiarii deditionem facere.

Odoardus post hæc, depulsis omni circum munito loco hostibus, pacata regione, re frumentaria explicata, fortuna uti videbatur paulo commodiore. Totum sane illum Scotiæ tractum placide obtinebat, qui a fluvio Spea in septem triones porrigitur. Insulas etiam, tum Ebudas, quæ ad occasum solis, tum Orcades, quæ ad Boream spectant, ex parte maxima obsequentes habebat. His non contentus finibus, in proximiores trans Speam Provincias suorum manipulos identidem immittebat, prædas hominum atque armentorum agebat. Excursione una in Buquaniam facta, capti sunt ex Regiis militibus multi, ipso prope inspectante, neque tamen se commovente Cumbriensium Duce. Ausus quin etiam est cogitare denuo ad Flumen Tavum, neque dubitavit detractas ab exercitu cohortes mit-

tere ad oppugnandum Blairum, qua si potiretur arce, sensim Cumbriensem obsidebat, commeatuque ac pabulatione intercludebat. Sed huic rei prospexerat Cumbriensis, collocatis, uti dictum est, opportuno ad occurrendum loco Hassianis. Blairum advolavit scilicet cum expeditis Legionibus Hassiæ Princeps, obsidionemque disturbavit sic, ut infestas cohortes exegerit, easque iterum trans Speam flumen in sua stativa compulerit.

Per has vices alternante belli fortuna, cum pergeret Cumbriensis exercitum in hibernis continere Aberdoniæ, multus, ac porro varius tota Anglia sermo de rebus Stuardianis erat. Aliis extincta prope factio videbatur, utpote quæ in angustum compulsa, & externis præsidiis destituta, deficiente pecunia, amicis perterrefactis, facultatem exurgendi nullam haberet; ex quo consequebatur, ut sua sensim mole concidere, ac dissolvi cogeretur. Alii contra reputantes, nunquam hactenus Odoardum prælio concidi, nedum profligari potuisse, immo nunquam sine victoria decertasse, nunc vero & partem Scotiæ feracissimam obtinere, neque arcibus, neque portubus, neque demum facili in montes receptu, si res ita ferret, carere, non adeo afflictam prostratamque censebant ejus fortunam, ut non posset efferre se iterum, ac tandem de Regno decernere. Movebat istos præsertim Ducis Cumbriæ, Principis fervidissimi, gloriæque appetentissimi tam longa cun-

ctatio, qui cum florentissimum haberet exercitum, & in spem debellandi processisset usque Aberdoniam, ibi resideret tamen iners, nec auderet hostem lacessere. Id adeo mentes hominum percellebat, ut Londini, ubi loquendi impunitas major, dictitarent multi palam, enimvero insigniter se fuisse deceptos, quibus tanto antea ab aula prænunciatus fuisset rebellionis expirantis interitus. Aut nunquam tam perdito fuisse loco Stuardianorum res, ut hæc prænunciari certo possent, aut Cumbriensium Ducem non qua par esset solertia bellum administrare pronunciabant. Hujus certe Imperatoris gloria militaris multis erat partibus apud vulgus deminuta, & erant etiam ex primoribus, qui virtutem ejus pristinam industriamque desiderarent.

At Cumbriensis, ut non ignoraret hæc hominum de se judicia, tamen cunctari perseverabat, & anni tempus commodissimum expectabat. Recte existimabat scilicet, properato opus non esse cum ejusmodi hoste, prope ad incitas jam adacto, qui si uno prælio superaret, facile redintegrare vires, & audaciam posset; sin intra angustos fines, atque adeo extra spem pugnandi contineretur, mora ipsa languesceret, ac sensim debilitaretur in tantum, ut posset uno die spoliari iis omnibus, quæ labore multo ac longo esset adeptus. Consilii prudentiam plus nimio affirmavit eventus; qui quidem Odoardo infelix infaustusque hanc maxime ob cau-

sam fuit, quod ejus interea exercitum inopia afflixit, numerum virtutemque militum extenuavit. Nam de auxiliis Gallicis, quorum erat summa expectatio, & par necessitas; nunc tandem desperatum est. Cum enim plura solvissent ex Gallia diversis itineribus submissa navigia, quibus subsidia Stuardianis ampla deferebantur, ea Angli omnia, vel in aperto Oceano, vel prope Scotiæ littora intercepernnt. Præ cæteris captæ sunt naves majoris alvei duæ, quæ, quod magnum argenti numerum supportare dicerentur, incredibili anxietate expectabantur. Iis erant navibus imposita, præter pecuniam, duodecim tormenta ex ære curulia; ephippiorum frænorumque ingens copia, & delecti milites quingenti ex Legione Hibernica Fitziamesy. Aderat Tribunus ipse militum Fitziamesius, cum minorum Ducum lecta manu, qui ex hibernica nobilitate delecti omnes erant, & Regi Galliæ stipendia faciebant. Istarum jactura navium dolenda admodum accidit Odoardo, pecuniæ tunc ut cum maxime indigo; dolenda item militibus, quorum multos tædere cœperat longæ ac laboriosæ militiæ, quam neque stipendium præsens, neque spes futuri eventus levaret. Inde in castris querelæ audiri cœptæ dolentium conditionem suam, seque omni laboris solatio fraudari quiritantium. Multi, seu tædio molestiarum atque inopiæ, seu metu futuræ sortis, a signis clanculum discedebant, & in Regia ca-

stra transfugiebant. Quibus rebus Odoardus graviter, ut dignum erat, vulneratus, spem tamen vultu simulabat, patientiam militum proposita gloria, quantulacumque ea merces sit, sustentabat.

Curabat cum primis, ne de statu misero calamitosoque rerum suarum vulgo innotesceret, quod opinio virium in bello multum valet. Hanc itaque ut opinionem tueretur, simul ne otio remollescerent milites, Aprili vix Mense ineunte prior ex hibernis prosiliit, eductaque parte copiarum in Loquabriam, oppugnandam suscepit arcem, ut vocant, Guillelmiam. Erat Arx magni ad rei summam momenti, sed difficillimam habebat oppugnationem, non tam loci atque operum firmitate, quam quod ab Scotto defendebatur, viro acerrimo fortissimoque, & Stuardianis perdite infenso. Præsidiarios præterea propinquitas Regii exercitus, & auxilii certa spes, alacriores ad defensionem efficiebat. Tamen Odoardus cohortatus ad laborem milites, jecit aggerem, opera produxit, arcem appetiit summo nisu. Tredecim ipsos dies perstitit quatere tormentis muros, atque impetum in eos facere, sed labore irrito. Comperto demum se commovisse, venisseque ad amnem Speam Regios, absistere incæpto coactus est re infecta. Nec ita multo post illuxit dies Aprilis mensis septima supra vigesimam, quæ una dies de tot rebus gestis nihil ei reliquit præter gloriam, spem vero ejus

omnem prorsus extinxit. Res, qua non alia luctuosior, hoc maxime modo accidit.

Dies fluxerant amplius quinquaginta postquam Regius exercitus Aberdoniam in hiberna concesserat; & jam hiems præcipitabat, aperiebatque se ver, tempestas bello maxime opportuna. Ubi primum liquatæ nives, cœlum sudum, & longinquior dies, facultatem rei gerendæ præbuerunt, Cumbriensium Dux adesse militem in armis jubet. Mox omnibus comparatis rebus, ex Marria Provincia transgreditur in Buchaniam finitimam, quæ, qua parte Boream respicit, Spea fluvio finitur; progressusque ad ostia Speæ, equitatum præmittit tentandi vadi causa. Fluvii erat trajectus sane impeditus, non tam copia aquarum, quam Stuardianorum objectu militum, qui oppositæ insidentes ripæ, ac protecti aggere, tela continenter adigebant, subeuntes equites repellebant. Tamen, cum pluribus simul locis transitus tentaretur, ut nullus ferme par invenitur pro fluminum longitudine numerus defensorum, quod minus licuit ex una parte, successit ex alia; qui vero primi transierunt, cæteris tutum ac facilem transitum præstiterunt. Quippe Stuardianorum Dux Elchius, hostem ex improviso transgressum, & in se irruentem conspicatus, nullam sibi moram intulit ad receptum, eoque auctore milites ripam celeriter deseruerunt, & ad suos Innernium usque procurrerunt; quo facto, totus est exercitus Regius nemine obsi-

stente transductus in Moraviam. Ardebant Regii Stuardianos refugientes insequi, sed prohibuit Cumbriensis, uti qui maneret in priore sententia, nihil esse temere ac per inconsiderantiam audendum cum eo hoste, qui, ut in re prope desperata, nullam artem omitteret restituendæ fortunæ, quodque vi minus posset, calliditate, audacia, desperatione ipsa suppleret. Poni castra opportuno prope amnem loco, ac probe communiri jussit. Tum dimissis quaquaversum exploratoribus, qui de statu hostium referrent, quod reliquum erat diei, noctemque proximam quietus in castris exegit.

Luce postera reversi exploratores hæc nunciabant. Collectos in unum Stuardianos venire ex adversum incredibili alacritate, perinde quasi non ad prælium, sed ad certam victoriam properarent. Relictum ab iis esse aptum Innernii præsidium. Propugnaculum Augustum, quod tueri nequirent, aut certe nollent, incendio absumptum. Omnia ad certamen decretorium spectare. Eadem perfugæ, qui plures ea nocte in Regia castra transierant, confirmabant. His cognitis rebus, Cumbriensis binis progreditur castris ad Nairnium oppidum, quem maxime locum ad hostium impetum excipiendum putabat idoneum, ibique consistit. Toto eos expectavit biduo, si forte tanto abriperentur æstu pugnandi, ut vellent iniquissimo quoque loco prælium committere. Ubi videt eorum audaciam consi-

lio regi; iterum se dat in viam, partito quadrifariam exercitu. Peditatum diviserat in tria agmina, quæ singula quinque cohortibus Legionariorum constabant. Inter primum & secundum agmen tormenta curulia collocaverat. Separato agmine equitatus incedebat. Numerus omnium ad decemmillia, præter ferentarios, lixarumque & calonum turbam. Emensus millia passuum octo, audit abesse hostem haud procul, & in lata planitie consedisse ad Vicum, cui Collodeno nomen; stare autem ordinibus explicatis, atque acie instructa sic, ut videretur prælium deposcere. Eo nuncio consistere paulisper jubet exercitum, tum ut militum reficerentur vires, tum ut summos inter Duces consultaretur, quid facto esset opus. Concilio habito, eundum continenti impetu Collodenum, prælium omnino faciendum omnes censuerunt; neque vero esse e dignitate Regii exercitus, cui ipse præesset Regis Filius, aut declinare certamen, aut per ignaviam committere, & eum primi incesserent hostes.

Vera dici sensit Cumbriensis. Prælio igitur de communi sententia constituto, suos in hunc modum alloquitur more Anglico, qui mos concisus valde est, & verborum luxuriem respuit. Tempus in quo versamur, Commilitones, non patitur ut longa vos oratione detineam. Qui, qualesque sint hostes, videtis. Cujus rei causa pugnandum sit, non nescitis. Cohortari Anglos ut forti animo sint,

su-

supervacaneum, eos ut in fide maneant admonere, injuriosum sit. Quid ergo vobis in mentem revocem pro Rege, pro patria, pro libertate, pro Religione; pro fortunis, bellum geri hodie? Quid geri meo ductu, præsente atque inspectante me? Unum oro, ut si qui forte ex vestro numero sint (quod plane non credo), si qui tamen sint, quos aut metus, aut perfidiæ conscientia deterreat, ii jam nunc ab ordinibus discedant. Poterunt per me quidem impune, neque recusabo quin etiam ad hostem, si ita velint, transeant. Ignavum ego nullum, nullum necessitate magis quam voluntate merentem volo. Mille si relinquantur viri, sed strenui, sed fidi omnes, abunde est ad victoriam. Decem millibus, quot estis, haud satis fido, si quid admixtum socordiæ, si quid perfidiæ latens inveniatur. His dictis cum tacite perstringerentur ii, qui Stuardii Principis probare causam dicebantur, ad hanc amoliendam suspicionem incensi vehementer sunt militum animi. Quo ferociores fierent, nescio cujus fraude vulgatum est in castris, hæc Stuardianos ab Odoardo habere mandata, ut, si prælio superarent, hostium neminem inter vinctos reciperent, sed obvios quosque nulla misericordia confoderent, mactarentque in ipsa acie; qua indignitate adeo efferati sunt Regii, ut nihil jam nisi cædes, & sanguinem anhelarent. Falso id fuisse confictum ad exstimulandam ferociam militum, postea compertum

est; atque ut ad aures Odoardi accidit, doluit enimvero mitissimi ingenii Princeps, tantam de se immanitatem, & fingi a quoquam, & credi potuisse. Tamen calumnia sic maligne disseminata, ac temere excepta, multis Stuardianorum, ut mox referemus, exitio fuit.

Regiis gradum promoventibus Collodenum versus, apparuerunt ex adverso Stuardiani. Stabant in ordines dispositi, acie ad eum modum instructa, ut pars læva ad Collodenum oppidum porrigeretur, dextram ædificia quædam tegerent male materiata, ac ruinosa. In editiore loco tormenta erant castrensia constituta. Numerus militum ad octo millia omnino. Odoardus equo sublimis, per causam inspiciundi exercitus obequitans ordines, apta tempori loquebatur, spem perinde ac desperationem, decus atque ignominiam, ad acuendam suorum virtutem adhibebat. Stetere tandem ambæ e regione acies modico spatio diremptæ, donec pugnæ signum increpuit.

Non alias initum certamen puto tanta æmulatione partium, tanta hominum expectatione, tam ancipiti exitu. Magnus utrinque Imperator, hinc Cumbriæ Dux, inde Princeps Walliæ, duo Regii Juvenes, ætate, genere, virtute simillimi, non privato odio, sed conditione fortunæ dissidentes, suorumque singuli Parentum dignitatem ac jura vindicantes. Magna pugnandi causa, magna victoriæ merces. Angliæ Regnum. Regios tutabatur

numeris, Stuardianos fiducia virtutis, atque ipsa assuetudo vincendi, cætera haud multum impares. Sed nimium quantum dispar fortuna, quæ, cum in omnibus humanis rebus, tum vero maxime in præliis dominatur.

Initium pugnæ factum balistis majoribus; quæ cum fragore horrendo perstreperent, cerneres inter densos fumi vortices crebras micare flammas. At propter Balistariorum imperitiam, rara accidebant a Stuardianis jacula in Regios, qui contra certiore ictu collineantes, eorum quamplurimos prosternebant. Vidit incommodum Odoardus, qui huc illuc invectus equo volitabat. Quare consistens post mediam aciem, procurrere in medium suos, ac depugnare cominus jubet. Ad eam vocem Montani, qui erant in parte læva, irruunt ferociter suo more in dextram Regiorum, eamque proturbant; quæ nisi fuisset, accurrente celeriter equitatu, restituta, ea fortasse res de fortuna prælii decernebat. At, depulsis ex hac parte Montanis, magna repente fit rerum commutatio. Manus Regiorum lato flexu progressa ad hostium dexteram dejecerat semirutum nescio quem parietem; quo ea pars exercitus, ut supra dictum est, tegebatur. Quo facto, cum nudatum relinqueretur id latus, penetravit se inter primum & secundum ordinem, irruens in morem torrentis fluvii. Stuardiani, qui non cogitassent hoc posse accidere, re subita perculsi, cum simul hostem in sinu haberent,

& a fronte acriter premerentur, perturbari, fugam circumspicere. Nutantes ad ignaviam confirmavit militum Gallorum exemplum, qui in acie media constituti ad bis centum numero, hostes ut conspexere directis sclopis, præfixisque pugionibus subeuntes, arma confestim projecerunt, & vitam, quam non inultam ponere pulchrum erat, turpi deditione redemerunt. Vecordia eorum totum momento exanimavit exercitum. Deseruntur signa, non ordines, non ducum imperia servantur. Una omnium cura est fugere, tueri animam. Regii undique circumfusi, explorata victoria præferoces, obvium quemque confodiunt. Ægre Odoardus diræ carnificinæ proripuit se. Diffugerant jam ex acie cuncti projectis armis, quoque pavor, & spes salutis pellebat, eo turmatim gradiebantur latebras & solitudinem captantes. Post eos mittitur separatis manipulis equitatus, ne quo consistere loco possent. Capti multi, ac per summam inclementiam trucidati fuerunt. Frustra miseri in genua provoluti manus tendebant; frustra superum atque hominum fidem implorabant. Neque precibus, neque miserabili specie tangebantur sævi carnifices, ne sævirent. Nempe animo reputantes quid de se Odoardus constituisset, quam deprecari non potuissent victi necem, victores inhumaniter inferebant. Usque adeo efferaverat homines quam dixi calumnia de necandis deditis.

Periisse dicuntur eo die Stuardianorum bis

mille amplius, cujus numeri pars major in ipsa fuga interfecti fuerunt. Reliquis fusis dissipatisque, ex omni exercitu nihil superfuit, ne nomen quidem. Regiorum paulo plures trecentis in acie ceciderunt, par numerus consauciati fuerunt. Spolia, arma, commeatum, & quidquid hostium fuerat, Cumbriensis militi habendum permisit. Tantum excepit insignia, quæ sparsim in loco certaminis reperta lacerari, ac manu Carnificis exuri jussit, quippe indigna, quæ inter trophea victoriæ censerentur. Ita demum una dies, imo hora diei una, Stuardio Principi ademit omnia, Regnum, arma, opes, clientes, ipsam exsurgendi spem. Solum adimere non potuit animum atque virtutem; quæ quidem virtus, ut infra narrandum erit, rebus tam afflictis eluxit multo quam antea splendidius.

Nondum exierat dies, quo hæc acta sunt, cum Galli auxiliares, qui fuerant in urbe Innerniensi præsidio relicti, ultro ad Cumbriensem miserunt qui diceret, milites Gallos, eorumque Duces in potestate esse Victoris. Unum rogare, ac porro sperare ex magnanimitate Anglica, ut honeste, ac pro conditione militum haberentur. Deditos Cumbriensis manere jussit Innernii, cum hoc tamen ut fidem darent, chirographoque confirmarent, non elaturos urbe pedem injussu suo; quod illi obedienter fecerunt. Et notatum est, inter Duces quinquaginta & unum, qui

chirographo subscripserunt; Marchionem fuisse Guillesium, qui missus ab Rege Galliæ dicebatur ad Odoardum cum nomine, & prærogativa Legati. Sequenti die Cumbriensium Dux Innernium triumphantis in morem ingreditur. Magni post hæc fugitivorum concursus ad eum fieri cœperunt, pœnam deprecantium, & in fidem recipi flagitantium. Pars ultro adventabant, pars ab immissis post eos equitibus trahebantur. Multos oppidorum Domini ac Præfecti manipulatim adducebant, sive fidei ostentandæ causa, sive ut diluerent suspicionem perfidiæ, sive etiam adacti conjurationis conscientia, quam præsenti obsequio purgare studebant. Capita conspirationis, viri genere opibusque totius Scotiæ spectatissimi, partim pernicitati pedum ac latebris salutem debuerunt, partim in potestatem Victoris venerunt. Hi vinculis onusti, & in carceres tenebricosos detrusi, ad pœnam reservati fuerunt, in quos deinde Londini atque Edemburgi lege Majestatis actum est. Quærebatur præ cæteris Odoardus; nec parva erat proposita merces, si quis vinctum adduxisset. At is fide amicorum egregia, maxime vero Divini Numinis providentia, cui præcipuæ curæ est vita Principum, manus perquirentium elusit; de qua re copiosior infra sermo nobis redibit.

Cæterum Cumbriensis, etsi satis jam fracta armis seditio videbatur, si quæ tamen restarent seditiosorum reliquiæ, eas edictis gra-

vissimis insectandas suscepit. Duo sunt præsertim edicta proposita, quæ factionis ruinam ultimam urgebant, ac ne quo resurgere modo posset cavebant. Altero factiosis ipsis denunciabatur, ut quocumque in oppido versarentur, ejus statim oppidi magistratibus sisterent se, arma apud eos deponerent, nomen, patriam, domicilium ederent. Qui vero cunque factiosorum apud se arma, resve ullas haberet, de iis ut indicaret edicebatur. Pœna capitis constituebatur his, nisi intra certum spatium edicto paruissent. Edicto altero locorum Præfectis mandabatur, uti de rebellione quæstiones severissimas instituerent, quos autem huic affines noxæ comperissent, in vincula raperent, bona eorum invaderent, ac fisco addicerent. Præmia opima deferentibus unum aliquem ex rebellibus spondebantur. His Edictis, & Magistratuum in iis exequendis acerbitate, quam multi fuerint ad Tribunalia raptati, quam multi fortunis eversi, ergastulis horrendis inclusi, aut solum vertere coacti, quam multi demum aut suspendio, aut capite amputato cæsi, non est hujus loci exequi fusius. Quod ad rem pertinet, tantus est late terror incussus imis ac summis, ut etiamsi studere nomini Stuardio pergerent Scotorum plerique, non mutire tamen quisquam, non hiscere auderet. Nam quis non metueret sibi, cum delatorum, perquisitorum, satellitum plena erant omnia? Cum non amicus

ab amico tutus, non herus a famulo, non ipsi inter se consanguinei?

Et nihilominus dum hæc maxime agebantur, tertio post victoriam mense, Cumbriensium Duci, qui adhuc consistebat Innernii, ex improviso nunciatum est, magnam perduellium manum coaluisse in Loquabria, regionem prædabundos pervagari, vastare agros, domos atque oppida diripere. Carere illos quidem certo Duce, neque satis constare, utrum Stuardiani vere essent, an magis colluvies hominum perditorum, qui Stuardii obtentu nominis publicum latrocinium exercerent. At numerari ad duo capitum millia, quæ factio nisi in ipso ortu dissiparetur, facile posset belli intestini flammam, ut in calida adhuc ac fumante materia, iterum excitare, publicamque rem denuo in discrimen adducere. Perculsus nuncio nec opinato Dux, contrahit confestim copias, cum duabusque legionibus equitum, & peditum cohortibus decem proficiscitur in Loquabriam. Verum accidit hic quoque, quod sæpe alias, ut quæ magna existimantur prædicatione famæ, coram inveniantur exigua. Nonnulli tribuum Montanarum Principes, cum audissent Odoardum prælio Gollodeniano profugum, post longam durissimamque per Ebudas insulas peregrinationem, asylum quærere in Loquabria, collegerant suorum Tribulium lectam manum ad centum numero, qua deducente Princeps infelix minus haberet periculi. Præ-

ter istos, qui quidem regionem sine cujusquam maleficio percurrebant, nihil armatorum inventum est. Ac ne isti quidem inventi. Vix enim ingresso in provinciam exercitu Regio, solutum est, ut suo loco memorabimus, agmen innoxium, ac videri desiit. Atque ita demum Cumbriensis bello confecto; pacata Scotia; cunctis in statum pristinum restitutis rebus, Londinum repetiit sextili mense ineunte, quo prorsus tempore ante annum appulerat Odoardus in Scotiam.

Fama Collodenianæ victoriæ lætitiam vix credibilem attulerat aulæ Londinensi, cujus in partem lætitiæ tota fere Civitas venerat. Lætitiam magnopere auxit bellicosi præsentia Principis, atque Victoris. Erat namque Dux Cumbriæ, ob eximias animi corporisque dotes, in magna apud populum gratia. Ejus deinde virtuti, atque consiliis unice referebatur acceptum, quod fax belli civilis opinione citius, & eventu supra spem prospero esset extincta. Instaurantur itaque in adventu ipsius gratulationes, & gaudii publici signa. Nocturnis ignibus, collucentibusque passim fanalibus tecta illustrantur, & viæ. Saltationibus, ludis, pomparum læto apparatu tota Civitas fervet. Insana plebecula, nullam prætermittere occasionem lasciviendi solita, in omnem hilaritatis modum intemperanter effunditur suo more, causam nihil pensi habet. Spectacula quædam, instigantibus Evangelii præconibus (sic illi, si superis, pla-

cet, suos sacrificulos vocant) fuerunt edita; in quibus multa scurriliter contra Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem jactabantur, Regia vero Stuardorum familia diris & execrationibus proscindebatur. Triumphabant in his boni Presbyteri; Supplicia pro Georgio Rege, liberis, Nepotibusque ejus, fanis omnibus instituebant; conciones frequentes habebant; contra Catholicos sexcenta crepabant anathemata; neque cessabant e loco superiore clamare ad populum, quantum Anglia deberet Superis, quorum immortali beneficio salva res esset publica, salva libertas, & pretiosissima rerum Religio reformata.

Plus aliquid ad significationem lætitiæ præstitit Regni Curia Suprema. Præter solemne gratulationis officium Duci Cumbriæ persolutum, quod quidem exquisitiore ritu peragi placuit; factum est Senatus Consultum, ut pro restituta patriæ libertate, vindicato Rege, servato Regno, futuris temporibus penderentur ei quotannis millia librarum Anglicarum viginti quinque, idque præter alia millia quindecim, quæ jam ante pendebantur; Sic ut ex Regni vectigalibus redirent illi deinceps in annos singulos millia librarum omnino quadraginta, quæ summa, si ad Romanam pecuniam revocetur, nummum est aureorum centum, & sexaginta millium. Quis jam ullis consequi verbis possit, quantus post hæc haberi cœperit Cumbriæ Dux? Certabant erga illum officiis purpurati. Mul-

ti eam exosculari dextram gestiebant, quæ talem tam insigni clade hostem depulisset. Vindex patriæ, assertor libertatis & Regni quietis publicæ restitutor, belli fulmen, & si quid magis, qua voce, qua scripto, passim audiebat. Præter alia hujus generis multa, cusum est majoris formæ numisma, cujus una pars vultum ejus exhibebat affabre sculptum. Appositæ circum litteræ Guillelmum Cumbriæ Ducem designabant, eumque Exercituum Magnæ Britanniæ Imperatorem appellabant. Parte altera ipsum videre erat stantem, habitu Romani cujuspiam Imperatoris. Hærebat lateri victoria, & e lauru corollam imponebat capiti. Ad pedes Stuardiani duo in genua provoluti manus tendebant, projectis humi armis. Alii procul fusi, ac catervatim fugientes conspiciebantur. Unum ipse stratum jacentemque superbe proculcabat pede. Ad marginem, totidem conscriptæ erant in orbem litteræ: *Restitutori quietis*. Subtus hæc legebantur: *Rebellibus ad Innernium devictis anno MDCCXLVI*. Sic aliqui procerum Londinensium Regio Principi blandiebantur, seu potius Georgio Regi ejus Patri.

At, si vera loqui fas est, lætitiam amplissimæ Civitatis corrumpebat ex parte mæror multorum, qui medii cum essent inter imos ac summos, peræque abhorrebant ab aulicorum assentatione, atque a proletariorum temeritate & insania, eoque liberiore

erant ad judicandum animo, quo magis a præjudiciis vacuo. Fuerunt sane ex hoc ordine haud ita pauci, qui quod factum esset, magis patienter ferendum dicerent, quam ut fieret expetendum. Namque ut omittam, nullam bonis Civibus lætam esse victoriam, quæ civili sanguine parta sit; quo tandem fructu, ajebant isti, pugnatum a nostris tam acriter, debellatumque est? quod victoriæ pretium? Nempe ut extrudatur Regno Stuartorum familia, cui jure hæreditario Regnum debetur. Præclaram vero laudem gentis nostræ, ferrum nefarium stringere contra legitimum Principem, sacratiora humani generis jura violare, obfirmare animum ad perfidiam, quodque male factum est semel, nunquam inducere, ne tunc quidem, cum occasio est honesta præ manibus, ac pene necessitas cogit. Adeo ne ab honestate pietateque pristina excedimus Angli, qui hujus indignitatem victoriæ non videamus? Si deinde uni obtemperandum est Regi, cur externum malimus, quam indigenam? Cur hæredi adscitum, cur nostro præferamus extrarium? Æquum iste exercet Imperium, mite, rectum, ad Regum Anglicarum normam. Ita sane. An vero inique imperaret Jacobus, vir annis gravis, rerum usu limatus, diuturna ærumnarum patientia ad mansuetudinem modestiamque eruditus? Num minus æque imperaret iste, quem vidimus, Odoardus, Regii vere animi Princeps; cujus virtutem, comi-

tatem, candorem, ipsimet laudaverunt, ac tantum non amaverunt hostes? At Catholici illi sunt. At Romanum hauserunt spiritum. Verendum ne Angliæ Religionem proturbent, ac denuo nostris imponant cervicibus jugum Pontificiæ potestatis. Id nimirum nostri Concionatores deblaterant, id usque usque ingerunt populo. Sed desinant aliquando nugari. Quid civili potentiæ cum Religione? Quæ tanta utriusque rei consensio, ut mutata una, aliam quoque commutari necesse sit? Anni jam multi sunt, cum septemviralis familia Principum in Saxonia dominantium, abdicato Luthero, juravit in Ecclesiæ Romanæ verba; num proinde Saxonum Religio convulsa? Fac etiam mutanda Religio sit. Quid postea? Erimus iterum cum laude quod cum ignominia esse desiimus. Eam resumemus fidem, quam Roma huc illatam majores nostri per multa retro sæcula constantissime retinuerunt. Eam repudiabimus, quam novissime Henricus Rex, meretriculæ amore impuro subversus, libidine ac rabie exæstuans, introduxit. Namque hoc demum istius, quam nos reformatam dicimus, Religionis initium apud nos fuit, libido impotens, furor, flagitium. Quod ad Pontificis dominatum attinet, quousque non pudebit nos [illegible] re exhorrescere, quod Itali, [illegible], quod Hispani, quod Galli [illegible] benter ferunt? Ecquid illæ [illegible] beræ, ecquid minus flor[illegible]

lentæ, quia certis in rebus Pontifici Maximo obnoxiæ? Sed quid ultra dissimulamus, nobisque ipsi turpiter illudimus? Quasi vero magnæ nobis curæ Religio sit, qui de commercio & negotiatione tantum solliciti, cætera in postremis habemus. Atqui neque mercaturam nobis Roma turbaret, neque post excussum ejus imperium facti sumus ditiores. Imo, si fateri quod est licet, numquam antea tam inopes, numquam tam grandi ære alieno gravati oppressique fuimus. Unum est quod nos a Stuardiis avertat paullo in speciem justius. Plus nimio addicti Galliæ obæratique sunt. Hoc nostros homines urit angitque, quippe ab Gallis indole, æmulatione, moribus dissidentes. Certum fixumque est datum oblatumque ab Gallia Regem nunquam accipere. At, si rem intime inspiciamus, non fuit hoc nomine repellendus Odoardus. Parum ille quidem Galliæ debuit hoc bello, plus illi Gallia; neque tam adjutus ab ea, quam vanis pollicitationibus ludificatus videri possit, qui magna Classium auxilia expectaverit diu, nunquam acceperit. Hunc certe credibile est, externi auxilii necessitate sublata, futurum fuisse, cum sanguine, tum etiam animo & ingenio Anglum, id quod de Brunsvicensi tam certo opinari nunquam licebit.

Sic illi loquebantur, non ulla erga Georgium Regem malevolentia, sed partim nativa æquitate, partim miseratione gentis Stuar-

diæ, quæ cum esset longa Regum serie inter Regias Europæ familias inclita, cogeretur tamen, non solum carere possessione Regni antiquissima, sed procul a natali solo, in tenui fortuna, atque adeo mendicato vivere. Id cum per se miserabile, tum nationi Anglicæ turpe, & apud barbaras quoque gentes inauditum dicebant. Movebantur cum primis eo, quod Georgius, dempto etiam Regno Anglico, patrimonium amplissimum obtineret in Germania, Jacobo autem quo viveret proprium esset nihil; & futurum inquiebant, ut Georgius, si paulo majorem Regno haberet animum, quod sine bono jure possideret, sponte dimitteret, & cum immortali laude abdicaret. Quod tametsi non erat sperandum, tamen iis in mentem veniebat. Verum alii, quibus odiosa Brunsvicensium dominatio, non eventum belli dolore sero & inutili prosequendum, sed sumptis in tempore armis rem fuisse gerendam pronunciabant. Ex quo licuit conjectare, si Odoardus post primos belli successus Lendinum, ut sibi proposuerat, tetendisset, partem fortasse non exiguam Civitatis ad ejus signa transituram fuisse, cum præsertim magnam vulgo haberet virtutis opinionem Londini, eamque ipse opinionem superaturus præsentia esset. Sed diversa, uti dictum est, valuit sententia.

Quo tamen cumque animo essent ii, qui mutari statum Reipublicæ cupiebant, victoria tacitus fruebatur Georgius, & vanas ob-

loquentium voces, quas cohibere non poterat, prudenter contemnebat. Una restabat illi cura, nec vero levis, ut Odoardum haberet in potestate. Hæc eum cura dies noctesque angebat, perinde quasi nondum esset teterrimum bellum confectum, uno incolumi Odoardo. Hunc porro necessario intercipiendum pro certo sumebant omnes. Quæsitus enim tota Scotia diligentissime, neque poterat ullo in oppido tutus consistere propter Magistratuum vigilantiam; neque montium latibulis occultari diu; propter Regiorum sagacitatem satellitum, qui saltus quantumvis inhospitales perpetuo percurrebant, & ipsa ferarum spelæa scrutabantur; neque demum effugere mari, quod erant littora innumeris ex omni genere navibus, bellicis, pyraticis, onerariis obsessa. Multus proinde sermo erat in populo, quid eo tandem capto fieri vellet Regni Senatus, & sententiæ variabant. Erant qui capite multandum dicerent, ducta inde conjectura, quod lege Majestatis proscriptus nominatim fuisset, ad eumque interficiendum magno essent pretio incitati sicarii. Ast alii, Anglorum indolem reputantes magnanimam oppido ac generosam, parcendum ejus vitæ arbitrabantur, tum reverentia Regii sanguinis, quo quemquam pollui nefas, tum misericordia juventæ, tum etiam quod Princeps infelix nihil admisisse videretur contra jus, qui jus immo suum Superis hominibusque faventibus repetisset.

Nam

Nam ut hoc obiter noctem, negare non audent Angli, deberi Stuardorum familiæ Regnum jure successionis, sed hoc a se jus in domum Brunsvicensem justis de causis translatum dictitant; quasi vero potestatem ipsi habeant suos instituendi destituendique pro libito Reges. Quidni vero licere id putent sibi, qui eos aliquando in judicium vocare non dubitarunt, neque solum Regno, sed vita ipsa spoliandos censuerunt, & manu carnificis necaverunt? Huc nempe infamiæ prolapsa gens est nobilissima, post quam descivit a Religione Majorum, Romanumque Pontificem abdicavit. Adeo hæresis, ubi semel insederit, non solum hominum mores voluntatesque, sed ipsa etiam judicia corrumpit, atque omnem honesti sensum extinguit. Sed quamquam ita sit, probe intelligunt Angli, licere adhuc Stuardiis jus a natura acceptum, ac possessione antiquissima roboratum, quocumque possint modo, persequi, neque illis fraudi esse debere, quod recuperare conentur Regnum, quamdiu suo non ipsi cesserint juri. His ergo de causis huc multorum sententiæ inclinabant, Odoardum, si caperetur, haud secus habendum, atque alium quemlibet ejusdem generis Principem bello justo captum. Attinendum loco obsidis in honesta custodia, suo tempore redhibendum. Id eo similius vero videbatur, quod tali interposito obside, lautiores obtinere conditiones Angli possent, ubi pax, quæ erat serius ocius

secutura, inter Principes sanciretur. Sed neque id difficultate vacabat. Nullum esse commodum publicæ securitati anteponendum, plerique existimabant. Odoardum proinde, qui bellum intestinum redintegrare unus posset, negabant quacumque proposita conditione dimissum iri incolumem. Nunquam passurum Georgium Regem, ut sibi e manibus elaberetur is, quo uno salvo, videretur sibi precario magis, quam justo imperio regnare. Futurum potius, ut inter extrema consilia media quædam iniretur via, neque ad nimiam severitatem, neque ad præposteram indulgentiam declinans; Et siquidem Regium necare Principem turpe, liberum dimittere periculosum videretur, perpetuo eum carceri destinabant, ubi squalore loci, ærumnis, atque ægritudine extabesceret. Atque hæc ferebantur hominum vaticinia de illo. Sed omnium ex æquo judicia præsensionesque elusit mira, ut in malo, felicitas Odoardi, qui locis licet omnibus curiosissime conquisitus, quinque prope mensium spatio, nec capi usquam, nec inveniri potuit; atque ita demum evasit ex Insula, ut prius innotuerit ejus in Galliam adventus, quam fuga. Hæc quemadmodum acciderint, deinceps exequemur.

LIBER QUARTUS.

Commissa ad Collodenum pugna, Odoardus suos ex toto dejectos, hostem victoria ferocientem videns, conjecit se in turbam fugientium, stipatusque majorum Ducum, ac domesticorum fido globo, venit ad Nairnium amnem, qua parte in Badenacham provinciam itur. Jaculo transverberatus ceciderat, cui insidebat, equus. Erat ipse, non solum pedes, & labore defessus, sed etiam femore leviter saucio. Fluvius liquatis nivibus turgidus difficillimum habebat vado transitum. Tamen alveum ingressus mento tenus, obstantesque undarum moles feliciter eluctatus, in ulteriorem ripam ejecit se. Haud multum hinc aberat Airdium, oppidulum Simoni Lovato obnoxium, qui Lovatus, senex octogenario major, clarissimi generis, & multarum opum, magnis florebat clientelis inter Scotiæ Montanos, & Stuardio nomini favebat impense. Illuc Odoardus cum parvo comitatu concessit, subiitque primis tenebris ædes Lovati, qui forte aderat domi. Non est ut referam, quo sensu mœroris ac benevolentiæ Principem ita venientem exceperit amantissimus senex.

Prior cura fuit certos ad viarum capita apparitores disponere, qui excubarent, & siquidem appropinquare hostem persentiscerent, celeriter nunciarent. Tum, vocato Chirurgo, inspici curarique diligenter Principis vulnus jubet, quod nihil cæteroqui habere periculi compertum est. Eum denique labore debilitatum, ægritudine ac mœrore confectum, quibuscumque poterat modis, reficere ac solari studebat. Non tam perdito esse loco res, ut restitui Deo propitio non possent, dicebat. Montanorum manum non exiguam arma sumpsisse in Loquabria, atque unum modo ejus nutum expectare, ut in planitiem descenderent. Daturum se operam, ut par numerus adesset ex tribubus sibi obnoxiis. De tot millibus militum, qui prælio interfuissent, superesse multos oportere. Colligendos profugos, denuo conjungendum exercitum, tentandam ex integro belli fortunam, spem ultimo loco abjiciendam. Ad ea Princeps, suspirium ab imo ducens pectore: Ego ne ut aliis præterea bonis innocentibusque viris exitio sim? Ecquid nondum satis fusum est sanguinis mea causa? Si quid tamen audendum est adhuc, per me non stabit quominus audeatur. Utrum expediat, aliorum esto judicium. Equidem nihil statuere in præsentia, nisi de sententia istorum, qui me sequuntur, velim. Quibus dictis, adstantes admonet comites, ut quid facto opus sit, collatis inter se consiliis deliberent,

Illi, ut in concilio militari, quid præsens tempus, quid summa rerum postulet, quærunt. Consiliantes numero pauci, sed delecti. Aderat Scheridonius, is cujus facta mentio libro istorum commentariorum primo. Etsi enim Romæ substiterat discedente Principe, ad eum tamen aliquanto post venerat in Galliam, indeque eadem atque ipse navi in Scotiam navigaverat. Aderat Sullivanus, vir Principi familiarissimus omnium, carissimusque, & eximiæ erga ipsum, ut infra demonstrabimus, fidei. Hunc etiam Odoardus una secum adduxerat ex Gallia. Aderant ad extremum Elchius, Lochielius, Macdonelius, quem dixi Lovatus, aliique viri omnes præcipuæ inter Scotos nobilitatis, neque minus bellica laude quam genere illustres. Eminebat virtute ac scientia militari Elchius, fuissetque etiam auctoritate princeps, nisi ingenii esset paulo fervidioris, & judiciorum suorum plus nimio tenax. Petrogatis igitur sententiis, censebat Elchius, multum superesse spei, si consilio & recta ratione res ageretur. Suadebat porro ut prælii reliquiæ, quæ huc illuc dispersæ instar pecudum palarentur, in unum colligerentur denuo, & ad formam justi exercitus componerentur. Nova ut auxilia ex montibus peterentur, ut certus condiceretur amicis locus, in quem cum suis singuli agminibus convenirent. Postremo ut bellum instauraretur, duceretur que, donec aut sors, aut dies afferret meliora. Hæc pos-

se confieri, neque difficulter, & sine magno periculo contendebat. At celeritate opus esse, & audacia. Neque vero existimandum, velle multitudinem, quæ metu consternata omnis esset, nova adire pericula, nisi præirent summi Duces, in primisque præsentem cerneret suum Principem. Hic si Montanis se ostentaret tantum, non modo profugos ad signa redituros, sed alios etiam bene multos cum armis affuturos, eique se aggregaturos. Sin lateret, aut, quod deterius, excederet Insula, sibi quemque ac saluti consulturum suæ, omnes ad hostem dilapsuros. Quibus prolixe commemoratis, conversus ad Principem; Si me audis, inquit, nemo tibi persuadebit hodie ut fugias, nemo ut lateas; neque committes, ut aspectum optatissimi Principis & Imperatoris sui frustra requirant tot viri fortissimi, qui animam pro te profundere parati erant, ac nunc etiam sunt. Te quamprimum videant Loquabriæ ac Badenachæ montes. Nos utramque Provinciam pervolantes, justas, ut spero, copias brevi cogemus, & in eum, quem designaveris, locum deducemus.

Elchium ita perorantem interpellavit duriter, sive occulta æmulatione, sive naturali ferocia, sive, quod verius puto, præsentis ærumnæ impatientia, Scheridonius, eique exprobrans, quod amnem Speam non ut par fuerat defendisset: Frustra, inquit, Elchi constantiam jactas extra tempus ac locum,

Huic alibi usus virtuti fuit. Nunc, quando tua præsertim causa profligata sunt omnia, patienter quod corrigere est nefas, ferendum, ac necessitati obtemperandum. Fatuum enimvero fingis hostem, qui velit nobis tantum spatii relinquere, quanto est opus ad restituendum exercitum. Urget nos undique cum victricibus copiis, vias obsidet, victoriæ cursum prosequitur impetu non interrupto; ac forte, nobis de remedio consultantibus, huc appropinquat, & malorum extremum intentat. Fac etiam, quod non spero, languescat, fac agat nobiscum remissius. Qui cum octo militum millibus, iisque fortissimis, ac bello exercitatissimis, tantam cladem accepimus, cum exercitu infrequentiore, pavido, ex tironibus magnam partem collecto, nulla pecunia, sine commeatu, omni amisso belli instrumento, victori resistemus? Equidem, nisi omnia me fallunt, unum video esse reliquum, ut Princeps tutetur vitam celeri in continentem fuga, seque ad meliora tempora, si quando erunt, reservet. Pupugit ea fandi libertas Elchium, qui videret assignari sibi infaustum belli eventum. Probro commotus, quiritansque sibi ab homine arroganti & inurbano convicium fieri, ad acerbiora prorumpebat. At medium se injecit Princeps, rogansque ne privata dissensione communi deessent rei, rixam suborientem auctoritate composuit. Tum alios effari libere quæ sentirent jussit.

Sullivanus in sententiam Scheridonii concessit, & quasdam addidit de suo causas, ob quas admaturanda videretur profectio in continentem. Lovatus adstipulari Elchio videbatur initio, sed mox, diligentius expensis rationum momentis, in neutram magnopere partem inclinabat, & sententiam sustinebat. Cæteri, ut nulla est certa providentia in rebus perditis, malebant jussa facere, quam consilium dare, ex quo sequi aliquid adversi posset; minime cæteroqui abnuentes dare se in omnem casum pro salute Principis. Unum erat, in quo vehementer consentiebant omnes, periculosam videri moram Airdii. Deserendum quantocius locum hosti vicinum, atque suspectum censebant. Regios in omnem partem excurrere, exploratorum, delatorumque plena esse omnia reputabant. Ut magis metuerent, ac profectionem urgerent, faciebat concursus militum fugitivorum, qui cum audissent de itinere principis, in eundem diversi venerant locum, ut jam censerentur Airdii ad bis centum & viginti numero. Id latere diu hostem posse, nemini videbatur credibile. Quamvis ergo de negotio, quod erat præcipuum, ob varietatem dissensionemque judiciorum, nihil certi constitueretur, decernitur summo consensu, ut eadem nocte Princeps excedat Airdio.

Reliqua erat deliberatio de loco, quo tenderet, tum de profectionis modo atque ordine. Nam utraque res difficultatem habebat

haud levem. Locum ipse delegit sibi Odoardus ad propugnaculum Augustum, quod propugnaculum, uti dictum est, pridie ejus diei incensum fuerat ipsius jussu. Placuit hic præ cunctis locus, tnm quod eodem profugisse putabantur magno numero milites, tum quod commodius liceret hinc de statu rerum cognoscere, quo cognito Princeps, ut prudentiæ est temporibus accommodare consilia, aliquid tandem certi consilii caperet. Etsi enim erat jam tum propensior ad fugam, fluctuabat tamen in utramque partem, neque recusaret rursum ad belli consilia descendere, siquid bonæ spei affulgeret. Ad itineris modum quod attinet, Elchius, ut qui nondum a priori sententia de bello redintegrando discessisset, eundum censebat cum toto agmine eorum militum, quos advenisse Airdium dicebamus. Hujus consilii duplicem proferebat causam. Primo ut Princeps, si ex insidiis ingruerent hostes, defensionem haberet; deinde ut strepitu ipso, istius profectionis admonerentur cæteri de exercitn Stuardiano profugi, quo se loco adjungere deberent Principi; namque hunc unice ab iis, atque anxie quæri arbitrabatur. At longe aliter alii sentiebant. Principem a suis quæri fortasse, at certo quæri ab hostibus pronunciabant. In eo comitatu, qui capitum esset ducentorum & viginti, satis futurum strepitus ad ciendos hostes, parum ad repellendos præsidii. Minime vero e re præsenti videri certum gravissimum-

que creare periculum Principi ob incertam ac levem spem. Quam ipse sententiam comprobans Odoardus, in tanta hostium propinquitate nullas malle se copias dixit, quam adeo exiles.

Consurgitur itaque e concilio, nulla admodum constituta re ex Elchii sententia. Milites admoniti ut diversi incedant, ut certo conveniant loco, ut sint ad accurrendum parati, in Loquabriam dimittuntur. Nec ita multo post Odoardus, assumptis viæ comitibus quam paucissimis, circa secundam vigiliam noctis iter facere instituit. Præibant in equis Elchius, & Lochielius. Spatio mille circiter passuum interjecto, succedebat Odoardus, equo similiter vectus, mediusque inter Sullivanum & Scheridonium. Pari prope intervallo quinque subsequebantur domestici, quorum agmen ducebat Macdonelius. Omnes armis instructi, & parato in omnem eventum animo erant. Visum deinde multis, non fuisse aspernandam Elchii sententiam. Ea si præpolluisset, futurum facile ut renovaretur, trahereturque bellum, propterea quod dissipati milites, non alienati tamen, nec dum ad Victorem transgressi essent. Ducem his defuisse, non animum, non fidem. Potuisse interea incidere multa, quæ rerum commutationem inopinatam facerent. Sæpe afferre diem, quæ nemo expectarit, nemo præviderit. Sic multi loquebantur; satis ne sapienter, non definio. Sane, ut erant res, eve-

nire etiam poterant duriora, quæ prudentiæ fuit cavere.

Propugnaculum Augustum Odoardus attigit hora post Solis ortum tertia. Miram ibi tamen reperit solitudinem. Circumspicienti solus occurrebat Lochielius, quem cum Elchio præmissum docuimus. Elchius ex itinere erat dilapsus, non mutata fide, sed hesterna Scheridonii exprobratione, quam alte repositam servabat animo, exacerbatus, & quod impotenter ferebat, in rebus deliberandis plus aliorum deferri consiliis, quam suis. Id ipse priusquam abiret Lochielio significaverat, id Odoardo referri a se jusserat, persancte testatus, invitissimum facere se ut tam ærumnoso tempore suum desereret optatissimum Principem, neque facturum ulla causa, nisi ratio honoris, quæ res cuique carissima esse debeat, cogeret. Hac re nunciata, doluit enimvero Odoardus fluxisse fidissimum caput, cujus benevolentiam haberet longo usu perspectam, atque eo doluit gravius, quod videretur ipse sibi nonnullam ejus facti culpam sustinere. Certe hominem militarem, honore læso, justam habuisse causam irascendi pronunciavit. Verumtamen dolorem de amisso Elchio alius post paulo excepit dolor multo acerbior.

Ex propugnaculo Augusto diverterat Odoardus ad proximum Gleugarii lacum, si forte ex accolis piscatoribus expiscari aliquid certi posset de suis militibus. Post binas ferme ho-

ras eo in loco positas, mirabatur quid esset, quod nondum advenirent domestici illi quinque, qui, uti diximus, uno vix milliari sequebantur. Miranti, & adversi aliquid ominanti, nunciatur, adventare cursu incitato equitem. Spectatum progreditur, agnoscit subeuntem Macdonelium; sed is homini pallor, ea species oris, ut internosci vix posset. Macdonelius, ut affuit intra conjectum lapidis, Principem conspicatus ex adverso stantem, desilire equo conabatur obsequii causa. At defectus in ipso conatu viribus, corruit tota mole corporis, jacuitque humi exanimis. Ad lapsum accurrit Odoardus, advolarunt socii certatim; quisque attollere jacentem conatur, sed frustra. Sensibus destitutus, ore cadaveroso, difficili anhelitu, a mortuo vix differebat. Large interea manabat sanguis ex latere, quod apparebat plumbea trajectum glande. Rogatus dicere quid acciderit, hæc tandem effatur voce intermortua, & crebris singultibus impedita. Manum hostium infestam, ac numero prævalidam, irruisse ex insidiis contra se, ac sodales suos. Istos ad unum omnes circumventos illico, captosque esse. Se equi pernicitate fretum, eo incenso, fugere maluisse; At fugienti lethalem fuisse plagam impositam ignito missili. In tam tristi casu unam se solummodo optasse rem, ut adhuc semel suum videret salutaretque Principem; id quod cum esset divino munere consecutus, lætum jam ac liben-

tem mori. Addidit, ut maturarent fugam; properare enim hostes, & quam mox affuturos. Quæ vix elocutum vox & vita defecit.

Non alias accidit quod tantum Odoardo mœrorem, tam acerbum, tam justum aspergeret. Dolorem gravissimum cumulabat, quod in tanta necessitate fugiendi, neque quo tenderet videbat, neque de statu rerum suarum quidquam certi percunctationibus reperiebat. Dejectus animo, consilii inops, aufugiendum tamen videns, insilit in equum, progrediturque in interiora Loquabriæ. Emensus incultæ regionis longissimum tractum, cum nihil usquam invenisset suorum militum, ex homine nescio quo discit, eorum, quos Airdio dimiserat, partem maximam ab hostibus interceptam. Hac re cognita, convertit equum, deliberatum habens descendere in Vallem Morrariensem, ubi, ut in loco maritimo, facultatem haberet transfugiendi in Galliam. Eo per innumeras itinerum difficultates tendenti, unum restabat vitæ solatium; ac porro magnum, societas Sullivani, Scheridonii, atque Lochielii, qui suum summa fide assectantes miserrimum Principem, laborum periculorumque primas partes sumebant, ab ejusque latere nec tantulum recedebant. At paucos post dies, hujus etiam qualiscumque solatii partem invidit ei maligna fortuna. Seu placeret consulto ire per devia, ad vitandum hostium occursum, seu nulla melior duceret in Morrarium via, ventum erat in eam as-

peritatem locorum, quæ superari nullo modo poterat, nisi manibus pedibusque reptando. Erant itaque necessario relinquendi equi, ac viæ reliquum pedibus peragendum. Ita fieri oportere sedebat cunctis. At Lochielius, promptissimo cæteroqui animo, prohibebatur incedere vitio pedis, quem graviter sauciatum extulerat prælio Collodeniano. Id reputans Odoardus, tametsi homine fidelissimo amantissimoque carere ægerrime sustinebat, negat pati se posse ut tanta cum molestia secum ire pergat. Rogat proinde eum ut absistat, donec saltem curationem adhibuerit vulneri. Tergiversantem, precibusque ac lacrymis repugnantem facessere pro imperio cogit. Quo amoto, nihil ex tanta modo fortuna relictum ipsi est præter comites duos, Scheridonium, Sullivanumque. Hos jam unos habebat vitæ custodes, calamitatum participes consolatoresque, in rebus omnibus administros. Ut his etiam orbatus ad extremum fuerit, infra disseremus.

In eam interea quam dixi Vallem Morrarii devenerat. Oppidum ibi est incolis frequens, & pro modo regionis opulentum Arisaghium. Alluitur mari ex parte occidua, objacetque Ricinæ (Skiam vulgus appellat), uni ex Insulis Ebudis. Odoardus oppidum occulte ingressus, exceptusque supra quam speraret hospitaliter amici domo, angebatur tamen neminem hic inveniri suorum militum, neque quo evasissent tot hominum millia opinari ul-

lo modo poterat. Erant qui dicerent, seu conjectarent potius, in Rossiam plerosque concessisse, quæ Scotiæ provincia est magis in Boream vergens. Id cum affirmaretur a multis, & vero simillimum videretur, transgredi continuo parabat in Rossiam, nihil pensi habens, quod per eam maxime plagam vagari regii satellites dicerentur. Ne abiret, prohibuit prudenti consilio hospes. Nempe consultius futurum dixit, si quiesceret ipse Arisaghii, e suis autem Comitibus unum mitteret in Rossiam, qui quæ explorasset, vel per se, vel per internuncium referret. Placuit ita fieri. Scheridonius, habitu transformatus in Villicum, viam carpit Septentrionem versus. Princeps Arisaghii consistit, & quod erat longa ac difficili peregrinatione defatigatus, quiete modica fruitur non invitus.

Ecce autem post dies tres Arisaghium supervenit Onelius, vir bello strenuus, & Odoardo carus in paucis, qui militum centuriam ducebat cum ad Collodenum pugnatum est. Is metu hostium latuerat primum in denso nemore. Post aviis errare locis instituerat. Novissime inventus a Scheridonio, & quo Princeps delitesceret loco edoctus, ejus videndi, salutandique causa veniebat. Onelii aspectu dici vix possit quantam Odoardus hauserit voluptatem. At ubi de statu rerum disserentem, quæque post prælium acciderant explicantem audiit, in tantam est actus desperationem, ut unam defixerit animo rem,

fugere, elabique quam posset primum in Galliam. Hæc porro Onelius disserebat. Frustra quæri usquam milites, qui nulli jam essent. Multos in acie, plures in fuga trucidatos fuisse. Reliquos in potestatem Victoris devenisse, aut vi captos, aut sponte deditos. Deditionem præfestinatam feeisse Gallos, qui Innernii fuerant in præsidio collocati. Perthensium Ducem, Drumondiumque ejus fratrem, inter avia montium salutem quæsitum isse, monitis prius suis ut hosti dederent se. Cromartii Comitem, Kilmarnochium, Balmerinum, aliosque factionis principes, cum suis singulos agminibus fuisse captos. Actum itaque esse de exercitu, omnia periisse, nullam relinqui exsurgendi spem. Nunc contra factiosos exerceri leges, capitalium judiciorum diro apparatu totam contremiscere insulam. Ea narrantem attonito similis Odoardus audiebat. Ad extremum questus leniter, partim de fluxa multorum fide, partim de aliorum ignavia, deliberatum sibi esse dicit, vela facere in Galliam, nec expectato reditu Scheridonii. Deerat Arisaghii facultas navis, qua tantum Oceani procellosi spatium perageret. Conduci clam Phaselum jubet, disceditque eadem die Stumvaium, urbem in extrema ora Lewissæ Insulæ positam, ubi facile inventum iri navigium aliquod Gallicum putabatur. Phaselum agebant remiges octo valentissimi. Aderant Sullivanus, Oneliusque, atque his comitem se adjunxerat Macleodius, vir Prin-
ci-

cipi fidus, & quod erat patria Stumvaiensis, magno ut sperabatur, futurus usui ad explicandas fugæ difficultates.

At fato accidit, ut longissime quæsitum iret opportunitatem fugiendi, quam Arisaghii pulcherrimam, si vel unum præterea diem ibi consisteret, reperiebat. Discessit Odoardus IV. Kalendas Junias. Die postero Arisaghium appulerunt Gallorum naves duæ bellicæ in usum ipsius missæ; Præfecti præterea navium grandem ei pecuniam ferebant. Sex ipsos dies steterunt in anchoris naves, quod totum tempus uni quærendo Principi datum est, nihil reliqui ad diligentiam factum. At demum, cum neque usquam inveniretur ipse, & Angli cum pluribus adventare navibus dicerentur, deposita apud probatos viros pecunia, vela fecerunt, per eamque occasionem plures Stuardianorum Duces, ac Scheridonium nominatim, in Galliam feliciter avexerunt. Miserum id sane, ac multum Odoardo dolendum, qui si adesset, nulla mora discedebat, angores momento temporis finiebat. Illud tamen miserius, quod cum reverti in tempore posset, ac plane deberet, porro ire maluit Stumvaium usque, & occurrentem sibi tam suo tempore Numinis providentiam contumaciter repulit; quasi fato quodam ageretur adverso, ac cæco impetu raperetur quo minus vellet.

Conscenso, uti dictum est, Phaselo, Stumvaium Odoardus ferebatur. Sub noctem, cum

maxime, cœperat in altum provehi, subito coorto vento, mare totum inhorruit sic, ut inevitabile exitium videretur. Repellebatur impetu undarum phaselus. Navicularii defessi, exterriti negabant tantas undarum moles superari remigando posse. Vitandam tempestatem, repetendum celeriter Arisaghinum clamabant. Consentientibus cæteris, solus flecti nequivit Odoardus. Persistit immo, contra quam solebat, pertinacissime in sententia, obfirmavitque quocumque esse periculo progrediendum. Et quia remiges non Walliæ Principem eum, sed unum quempiam e Gallis profugis rati, parere recusabant, simulataque desperatione undarum arbitrio cymbulam permittebant, remum arripuit ipse, cohortatusque comites ut in laboris partem succederent, perdiu supplere nautarum vicem perseveravit, magna vi lacertorum perrumpens fluctus, ac laborem improbum læto cantu sublevans. Quo moti exemplo nautæ, vix tandem ad opus intermissum redierunt. Ita ire perrexerunt Superum ingratiis quodammodo; neque tamen quo iter direxerant devenerunt, sed post sævissimam jactationem, quod unum Deo propitio licuit, circa meridiem diei sequentis Bembiculam tenuerunt.

Quam Bembiculam vocant, Insula est maris Deucaledonii parva, neque multum incolis frequens, qui plerumque rudes inopesque sunt. Ea in Insula nostris viatoribus a littore longius recedere non audentibus nihil

ad usum vitæ suppetebat, non tectum, non cibaria, non ignis. Quibusdam Insulanorum inventis, ægre pretio coemere potuerunt, quo famem utcumque depellerent. Unum ibi diem perincommode fecerunt, quo medio tempore cum resedisset æstus Oceani, denuo mari se commiserunt, directaque in Boream prora, Stumvaium adire instituerunt. Navigatione prospera utebantur initio; cum oppressi ex improviso nova procella, exscendere coguntur in Scalpam, quæ parva item est insula ejus Oceani, parum culta, ac minime hospitalis. Fingunt se institores tempestate ejectos in littus, ac naufragio superstites, quod factum a se naufragium dicebant, cum ad Orcades Insulas mercimonii causa tenderent. Id non ea tantum causa mentiebantur, ut tegerent conditionem suam, verum etiam ut hospitium invenirent facilius, si quem Insulanorum, qui semibarbari plerique sunt, tantæ calamitatis miseratio tangeret. Consilium successit ad votum, ac supra spem: Villicus, qui paulo erat quam cæteri Scalpensium humanior, benigne fecit advenis, tecto exceptos pavit, habuitque pro inopia splendide, nullam cæteroqui mercedem liberalitatis sperans abs iis, quos vere naufragos, ac suis omnibus spoliatos putabat.

Procella non deferbuit nisi post duos dies. Hoc medio spatio Odoardus, dum multa de rebus publicis, uti fit, ex indigenis percunctatur, hunc audit certis auctoribus rumorem

ferri: Stuardium Principem, post cladem Collodenianam profugum, ac locis omnibus ad necem quæsitum, nuperrime fuisse conspectum Arisaghii cum Sullivano, Scheridonio, Perthi Duce, Drummondio, aliisque suarum partium primipilis. Eodem advenisse duas Gallorum naves armatas, neque dubium esse, quin earum beneficio Princeps infelix uti vellet ad fugam. Eum proinde, aut discessisse jam ex Scotia, aut certe prope diem discessurum, & in Galliam una cum multis nobilium Scotorum, Hibernorumque transmissurum. Hoc nuncio, quod, ut falsi nonnihil admisceretur vero, apparebat non esse ex vano confictum, vix credibile quanta Odoardum oppresserit ægritudo. Pro certo habens quod de navibus Gallicis ferebatur, dolebat majorem in modum talem elapsam sibi de manibus facultatem fugiendi. Accusabat cum primis se, qui reverti Arisaghium noluisset, ne tum quidem, cum & tempestatis violentia, & amicorum optimorum consilia, & nautarum preces suadebant. Caro stare sibi pertinaciam, qua contra superos hominesque obstinasset quodammodo, profitebatur. Nam quo nunc se converteret, tanto inde spatio summotus? Quid consilii caperet? Reverteretur? Forte jam naves excesserant. Progrederetur? Forte expectabant adhuc. Quid vero si nulla inveniretur Gallorum navis Stumvai? Ita fluctuantem, ac male se discruciantem, ad constantiam confirmavit Macleodius, cum di-

ceret, constare sibi non defuturam Stumvai copiam navis. Iret secum, bono erectoque esset animo. Etiamsi paulo diutius immorandum esset Stumvai, esse sibi in ea urbe amicos, & consanguineos magno numero, neque spernendis opibus, qui tutam ei fugam præstare vel sumptis armis non dubitarent. His Odoardus dictis recreatus, & in priore proposito confirmatus, actis prolixe gratiis benevolo hospiti, ejusque benignitate large compensata (nam abunde erat pecuniæ) iterum se mari committit.

Priusquam Scalpa discederetur, Macleodius Stumvajum miserat ad fratrem quemdam suum nuncios de adventu Principis, eosque properare terra jusserat per Harrajam, quæ Insula brevi isthmo cohæret Lewissæ. Cautio, ut videbatur, prudens negotium corrupit. Expositi in littus Lewisense nostri viatores, Stumvajum subibant taciti, ingruente nocte. Subeuntibus occurrit trepidus Macleodii frater, rogatque ut absistant procul. Nisi fecerint, infortunium denunciat. Vulgatum nempe esse Stumvai de ipsorum adventu. Civitatis maximam partem, malignis opinionibus occupatam, in armis esse, ac vim parare. Mirantibus unde tam subito innotescere potuisset de ipsorum adventu, aperte fatetur, culpam ejus facti residere in se, qui quod omnes celatum oportuerat summa Religione ac fide, uni cuidam amicorum arcano commisisset. Ab eo rem fluxisse, ac brevi in pu-

blicum promanasse. Quæ cum diceret, accidens ad genua Principis, male atque imprudenter facti veniam rogabat. Ægre sibi temperavit Macleodius, ne in fratrem rueret stricto ferro. Immani elatus iracundia, ac stultam dicacitatem coarguens, facessere eum jubet. Tum festinare solus in urbem statuit, quo essent loco res coram agnoscere, atque ubi malo remedium nullum inveniretur, providere saltem utilium copiam pro Principe sociisque, qui toto eo die nihil ferme sumpserant cibi. Locum itaque secretiorem condicit Principi, ubi se quantocius reversurum opperiatur. Ipse in urbem contendit.

Secessit Odoardus cum Sullivano, Onelioque ad ripam vicini stagni, qui fuerat demonstratus ad latendum locus. Totam ibi noctem exegit insomnem, sub dio positus, prægelido, sævoque vento perflatus, imbri, qui large effundebatur, madidus, fame enectus ac frigore. At Macleodium expectavit frustra. Quæ hominem, cætera probum & expertæ fidei, detinuerit causa, incertum. Fefellit certe fidem, neque uti promiserat rediit. Ob eam rem Odoardus molestis suspicionum aculeis pungi cœpit. Occurrebant menti multa, quæ formidolosam eo loco facerent moram. Deserendum propere littus male fidum, alio demigrandum censebat. Sed neque quo tenderet sciebat, neque itinera norat, & quo demum cunque se ferret, suberat ubique hostium, atque insidiarum me-

tus. Par sodalium anxietas, par inopia consilii. Placebat Principi ut iretur ad Orcades, si forte inter remotissimas eas insulas daretur tot quæsita votis facultas navigandi in Galliam. At nautæ, Orcadum vix audito nomine, haud secus quam si malis agerentur intemperiis, fremere, tumultuari, cum horrendis execrationibus profiteri, perituros citius, quam ut tam longe a natali recederent solo. Velle omnino Arisaghium reverti ad suas conjuges liberosque, dicere; Arisaghium iterum atque iterum conclamare. Qui cum nullis, neque precibus, neque suasionibus, ac ne ingenti quidem oblato pretio sententiam mutarent, consensit ad extremum Princeps, ut Arisaghium, nullo licet certo proposito, repeteretur.

Nautæ, etsi male pasti, neque minus inedia, quam labore debilitati, eoque dolore ac rabie perciti, tamen revisendæ studio patriæ remis incumbunt incredibili alacritate. Mœrebant contra vectores, ac prope se desperabant reputantes hinc occasionem elapsam, inde incassum quæsitam, fluere interea amicos, ubique insidias parari, quid de se Superi constituissent plane non videbant, nisi quod facillimum factu erat ut in hostium manus inciderent. Solus tacitam fovebat sinu spem Odoardus, ac socios ad bene sperandum identidem excitabat, certissime affuturam dictitans opem Providentiæ cœlestis, quantumvis paulo fortasse serius. Quod cum in tan-

ta rerum omnium desperatione sæpius diserteque pronunciaret, videbatur instinctu plus plene dixerim quam humano loqui, sociorum quidem certe mærorem ex parte sublevabat. Videri cœperant ante aliquot dies multæ per ea maria discurrentes Anglorum naves armatæ. Mirabantur quid ita esset nautæ, causam insolentiæ ignorantes; neque enim veniebat illis in mentem opinari, suo vehi phaselo Stuardium Principem, seque potissimum ab infestis prædonibus quæri. Causam nimis ex vero interpretabantur vectores, quippe suæ sibi conditionis conscii. Radebant proinde quam proxime poterant littora occurrentium insularum, tum ut navium aspectui se subducerent, tum ut prompta esset exscensio, periculo propius ingruente. Nam etsi periculo non vacabant Insulæ, multas in iis inveniri latebras reputabant, & quidlibet demum malebant, quam impune opprimi in aperto mari.

Hoc animo progredientibus in meridiem, apparent ex improviso Anglorum Celoces duo, summa remorum contentione properantes adversus ipsos. Vocem intendit Onelius, admonetque remiges, nisi velint in furcam agi, consulant confestim sibi. Certam esse necem ob præbitam opem perduellibus, si capiantur. Illi malo exterriti, incitant se se, quodque unum circumspicientibus occurrebat, elapsi inter prominentes scopulos, profugiunt quam longissime, donec oculis insequentium subducti, phaselum applicant ad parvam Insulam

itinere unius diei a Bembicula. Princeps Onelius, Sullivanusque, ipsi remiges egrediuntur, ac latibula certatim quærunt. Hoc primuum in loco Odoardus concidere animo est visus, ac Superum Providentiæ nonnihil diffidere; tot undique premebatur angustiis. Insula ipsa angustior, habens in circuitu millia passum, ut summum, novem, scopulus verius quam Insula. Nulli incolæ, nulla humani cultus vestigia. Quocumque inciderent oculi, nudæ objiciebantur cautes, aut horrentes dumi. Annonæ, quam secum extulerunt, nihil restabat præter mucida panis frusta, & paucas vini stillatitii lagenas; quod cum omne improbi nautæ intercepissent, sibique vindicassent, Odoardo, duobusque sodalibus, quo vescerentur erat nihil. Tamen Numinis Providentia non defuit. In angulo Insulæ secretiore exstabat tugurium vetus ex stramine, quod apparebat in usum piscatorum structum. Subiit illuc Princeps arcendæ causa pluviæ. Mirum dictum! Aderat siccati piscis copia, olim a piscatoribus, credo equidem casu, non tamen sine divino consilio, relicta. Qualecumque istud esset ferculi genus, eo viri undecim aqua mollito, ac prunis incocto, vitam ad plures dies toleraverunt. Potum præbebat gelida, quam per eos dies cœlo decidentem in Scrobes derivabant, & quamvis limo infectam colligebant ad restinguendam sitim. Cæterum vitam agitabant miserrimam. Noctem in eo, quod dixi, tugurio insomnem transi-

gebant. Per diem, ne paterent hostium insidiis, in penitiorem Insulam secedebant, inter carecta se abdebant, ubi densior promineret virgultorum seges, in nudo atque uliginoso solo somnum carpebant. Hanc præterea sibi præscripserant dormiendi legem, ut cubantibus cæteris, semper vigilaret unus, atque excubias ageret, qui labor singulis per suas vices in orbem redibat. Hujus molestiam vitæ supra modum exaggerabat nautarum improbitas, qui cum essent ob cibi parsimoniam defecti viribus, ac dira macie consumpti, Vectores suos per momenta singula contumeliosis, & obscænis vocibus impetebant, exprobrantes iis quod fame perire cogerentur, neque cessabant jactare impia contra Superos verba. Absumpta demum usque ad supremas reliquias annona, de qua dicebam, fuit necessario ex ea Insula demigrandum. Et forte fortuna, quantum longe lateque prospectus patebat, nihil usquam cernebatur navium Anglicarum. Captato igitur tempore, naviculam suam repetunt, languentibusque remis lentius procedentes, iterum in Bembiculam deferuntur.

Insulam occiduo sole tenuerunt, & in desertum ejus angulum exscenderunt. Mortalium ibi occurrebat nemo, præter piscatorem unum, pro foribus tugurii sui inambulantem in littore. Is advenas attente contuitus, quamquam erant omnes fœda oris macie, vestiumque illuvie ac squallore miserandum in mo-

dum deformati, agnovit Principem. Nam militem nuper egerat in ejus exercitu, atque huc post prælium Collodenianum secesserat piscatorem agens, tutandæ vitæ causa. Nulla mora est. Accurrit; accidensque ad ejus pedes, suo illum compellat nomine, paratum se ad omne obsequium offert. Nautæ, hoc primum indicio edocti qualem hactenus apud se Vectorem habuissent, simul confusi ac pudore oppleti, quod Principem ærumnosum tanta non modo procacitate verborum, verum etiam factorum inclementia violassent, abjiciunt se pariter ad ipsius pedes, veniam injuriarum de genu rogantes. Subrisit ad ea Princeps ore placido; ac nautas quidem amicissime interfatus, plura loqui vetans, surgere, ac bono esse animo jussit. Tum converso ad benevolum piscatorem sermone, agnoscit, affatusque hominem humanissime, neque vero respui a se posse dicit tali suo tempore obsequium ejus. Velle immo se ea nocte in straminea ipsius casa sumere hospitium. Erat hospitium neque commodum satis, neque tutum. Ibi si pernoctaret, præterquamquod habitaret angustissime, opprimi haud difficulter poterat subito hostium incursu, quorum innumeræ circuire naves dicebantur. Quocirca multo videbatur consultius subire in interiora Insulæ, ubi minus periculi, & copia utilium major esset. Atque ita quidem cuncti censebant. Sed ne abirent longius, obstabat valetudo Sullivani, qui cum

pridie tentari morbo cæpisset, nunc graviter ægrotabat, atque ægre pedibus insistebat, ne dum peragere viam longam ac salebrosam posset. Ad hanc præcidendam difficultatem, auctor erat Odoardus, ut æger ulnis hominum deportaretur, neque recusabat subire ipse oneri, & partem necessarii laboris capere. Tanta caritas fidi sodalis, ea benignitas Principis! Sed neque id difficultate vacabat. Post multa ultro citroque jactata, demum, ut faciliora prævalere solent in rebus dubiis consilia, de communi sententia constituitur, eo ut in tugurio consistatur nocte una, reparentur cibo somnoque vires, cætera providentiæ superum permittantur.

Commodum erat in promptu vis piscium non pigenda. Namque is, quem ex milite transformatum in piscatorem diximus, huic se ministerio totum addixerat, retibusque ac cymbula tolerabat vitam. Instruitur ergo convivium, pro loco lautum, pro fame lautissimum, largo piscatu. Ignem administrant Nautæ, Onelius torrendis elixandisque piscibus naviter allaborat. At Odoardus, de Sullivano unice sollicitus, ex aggestis nautarum sagulis lectulum quam potest commodissimum sternit, eoque decumbere Sullivanum jubet; cui deinde assidens in nuda humo, languentem verbis amicissimis solabatur, ac tempus trahebat. Sullivanus, partim quod somno gravabatur, partim quod Principis amantissimi incommodis tangebatur magis quam

suis, rogat obsecratque eum ut secedat paululum, paratoque reparet cibo fatiscentem naturam; quod factum est, accumbentibus eidem mensæ nautis mire famelicis. Somno post hæc indulgetur. Humi cubant omnes, vigilias agit piscator. Die sequenti multo erat melius Sullivano. Ipse se persanatum affirmabat. Odoardus, ut ea re mirifice delectaretur, angebatur tamen, nihil suppetere exquisitioris cibi, quo indigere arbitrabatur hominem a morbo recentem, nec dum confirmatum satis, & longo præterea debilitatum jejunio. Viderat forte in crepidine vicinæ rupis considentem avem grandiorem, anati quam simillimam. Succedit propius, eductaque una ex binis, quas semper gestabat, fistulis e ferro brevioribus, plumbeam adegit glandem tam certo ictu, ut avem decusserit. Lætus optima præda, recurrit ad tugurium, ferventi aqua macerari avem jubet. Manum ipse admovet operi, mira, non dicam alacritate, sed, quod magis mireris, peritia. Detractum deinde jus pingue Sullivano sorbendum præbet. Hoc æger poculo, & parte salubris ferculi, quod in communi divisum est, adeo recepit vires, ut non impar carpendo itineri videretur. Disceditur itaque a littore, & in partem Insulæ mediterraneam itur. Præibat, quem sæpe, dixi, piscator, & viarum compendia commostrabat. Nautæ, non uti prius asperi, atque insociabiles, sed placidi pudibundique sequebantur,

ferentes onera, & Sullivanum alternis sustentantes.

At postea quam multum processerant, cum certo loco quiescendi causa consedissent, dum sermones varios cum indigenis serunt, audiunt eodem prorsus die expectari intra Insulam Cambellium Tribunum (erat is Odoardi acerrimus indagator) cum magna militum manu. Venire autem ut insidiaretur Stuardio Principi, quem fama percrebuisset per hæc loca circumagi cum paucis comitibus. Hunc nuperrime fuisse conspectum in aperta navicula prope Scalpam. Eo nuncio Odoardus, Onelius, Sullivanusque, velut afflati fulmine, respectare se mutuis defixi aspectibus. Paulum secedentes, quid præsens tempus, quid rerum conditio postulet, inter se quærunt. Videbant periculosum fore consistere intra Bembiculæ fines quo tempore advenissent hostes, multo tamen periculosius excedere hinc, cum maxime advenirent; neque enim perinde liciturum effugere eorum oculos in aperto mari, atque in Insula recessuum, ac latebrarum plena. Inde conficiebant, rejiciendam in diem crastinum fugam, noctem proximam tuto in latibulo exigendam. Mons erat in proximo editus, ac densa obsitus silva. In latere montis retruso spelunca hiabat, haud magni illa quidem oris, sed intus ampla atque profunda. Circum Vepres dumique aditum sepiebant. Huc Princeps, ac duo fidi sodales se includunt. Piscator, pollicitus

se affuturum postridie, discedit cum turba nautica, perque eadem quibus venerat vestigia ad suum se tugurium recipit.

Non dicam quam inquies ea nox, quam longa fuerit Principi. Mane primo aderat ex condicto piscator, nunciabatque, aut nondum advenisse Cambellium, aut ex opposito latere insulæ exscendisse. Nihil certe esse turbatum ex parte Septentrioni objecta, nihil apparuisse navium, & quantum porrigeretur aspectûs, vacuum videri navibus mare. Jubetur abire denuo, obvios quosque interrogare; conscendere summa juga, regionem, mare etiam atque etiam explorare. It, redit. Tranquilla omnia referebat. Cum perseveraret eadem attestari usque ad vesperam, progressi e spelunca viatores phaselum repetunt, deliberatum habentes contendere in Medartium, quæ regio videbatur minus periculi habitura, quippe posita in continenti Loquabriæ. Discessum non est nisi prima luce sequentis diei; atque in ipso discessu mirari licuit in infimæ sortis homine fidem oppido raram, ac communi majorem. Cunctis in phaselum transgressis, piscator, de quo hactenus dictum, summis instare precibus cœpit, ut pariter reciperetur, atque una in Medartium aveheretur. Velle nimirum se suum assectari carissimum Principem, ex ejusque participare fortuna. Velle subservire ei quamdiu viveret, ac demum cum ipso, aut pro ipso mori. Quid enim misero sibi jucundum, quid

immo non acerbissimum futurum post hac; tali sublato Principe, tam bono suavique? Quæ cum diceret, in lacrymas solvebatur, ac lamentabili comploratione littus complebat. Commotus fletu Odoardus, hominem ita de se meritum, ac forte magno deinceps usui futurum, invitissimus repellebat; tamen, ut morem gereret Sullivano, qui nec uno capite augendum censebat numerum sociorum, eum blande consolatus, impelli remos jussit. Phaselo sensim recedente, piscator dolore perditus, projecit se in genua, sublatisque in cœlum manibus atque oculis, vota facere instituit pro sui incolumitate Principis, Superos omnes comprecans, vellent juberent ei omnia feliciter evenire. Perstitit autem orantis habitu quamdiu in conspectu abeuntium fuit; quæ species Odoardo multum lacrymarum excussit.

Directum erat, uti dictum est, iter in Medartium; Sed sive adversarentur venti, sive obstaret hostium occursus, quæ demum alia fuerit causa, delati sunt in Vistum Australem, quam patrio vocabulo Suduistum Angli vocant. Insula ea est brevi freto dirempta a latere Meridionali Bembiculæ, appellaturque Australis, ut dignoscatur ab Insula cognomine, quæ item est Bembiculæ proxima, sed adjacet ei ex parte Boreali. In Sudvisto, nacti circa Curradam oppidum quosdam Insulanorum benevolos, a superiore metu respirare, ac rebus omnibus abundare cœperunt.

Ita-

Itaque Odoardus, qui non putaret brevi hinc fore abeundum, miseratus nautarum vicem, qui tanto abessent tempore a suis familiis, donatos libris Anglicis centum, quale naulum neque viderant, neque speraverant unquam, dimisit. At post dies admodum tres quieti datos, nova subito trepidatio, pericula graviora, Ferox Cambellius, tota in cassum lustrata Ricina, cum esset in Bembiculam migraturus, mutato repente consilio, veniebat in Sudvistum, ac Curradam recta petere ferebatur, prorsus ut videretur de itinere hospitioque Odoardi certo cognovisse. Cum hæc non rumore vulgarentur incerto, sed a fidis speculatoribus traderentur, convasandum celeriter, atque alia quærenda sedes fuit. Ergo in interiorem Insulæ plagam proripiunt se, horrentibusque rupium cavernis, quæ viderentur penitus inaccessæ, vitam committunt. Nullibi hactenus vixerant incommodius. Odoardus intra angustam depressamque scopuli hiantis rimam cubabat, instar lacertæ. Separatis cubilibus Sullivanus, Oneliusque se tenebant. Domiciliis congruebat victus, quem vulsæ herbarum radices subministrabant. Potum supplebat nonnulla vini stillatitii mensura, quam quisque veluti demensum suum habebat forte apud se. Namque erat regio tota sterilis, ac siticulosa; si quid autem inveniebatur aquæ, id amara salsugine infectum erat. Præter hæc Odoardus, tot peragratis locis, mutatisque tam sæpe latebris,

seu gravitate Cœli, seu vitio alimenti, scabiem purulentam contraxerat, malum in iis Insulis frequens, cujus crudescente mali vi, molestam impetiginem ferre vix poterat.

Tribus evolutis in hunc modum diebus, prodiit parumper e suo cavo Onelius, processitque maligna luce exploraturus late regionem, atque oram præsertim maris. Sors tulit ut incurreret forte in unum ex nautis, quos paulo ante dimissos demonstravimus. Nempe ii, dum Arisaghium repetunt, conspicati ex adverso multas Anglorum naves, ne in suspicionem venirent servati Principis, eamque ob rem ad quæstionem admoverentur, maluerant regredi in Sudvistum, ac locis remotioribus se continebant. Eum Onelius adducit ad Odoardum. Nauta jussus dicere quid de statu rerum quærendo cognovisset, formidolosa omnia, ac plena periculi nunciabat. Mare Anglorum navibus majoribusque circumseptum esse. Littoralem Scotiæ oram, præsertim ex parte proximiore, ab infestis militibus obsideri. Regios satellites grassari per circumpositas Insulas, ubique vestigia profugi Principis, instar canum venaticorum, olfacere. Cambellium hinc, inde Scottum, mortalium nequissimos vaferrimosque, militum sagacitatem acuere, gressus dirigere, ferociam exstimulare. Narratio, ut molestissima accidit Odoardo, ita pristinum ejus consilium refricuit de adeundo Medartio. Videbat quippe, nunquam sibi melius fore quam-

diu in his versaretur Insulis, quæ nec adiri possent, nec deseri sine ope multorum, quodque deterius, nunquam satis occulte. Iisdem proinde nautis alias spondebat libras Anglicas centum, si se Medartium detulissent. Quod illi, tametsi negarent fieri posse sine manifesta pernicie, tamen illecti magnitudine pretii conaturos dixerunt,

Deliberata igitur profectione, Odoardus iterum phaselo excipitur, quem octonis instructum remis dicebamus. Hærent de more lateri Onelius, ac Sullivanus; prora in meridiem dirigitur. Procedebant taciti suspiciosique, obtutu in omnem partem intento, cum subito objectu navium Anglicarum coguntur vela flectere, atque in Lochbusdaliam egredi. Regio ea est Sudvisti incultissima, tota siti arida, scopulosa, & abruptis montibus horrida. Nullæ ferme arbores, nullæ domus, ne pastorum quidem mapalia. Rerum quæ ad tuendam vitam sunt necessariæ, prorsus nihil. Octo continenter dies ac noctes in Lochbusdalia constiterunt, non alio tecto, quam quod cavata casu saxa, aut cæca ferarum antra præbebant. In his latebant interdiu, ne conspici a quoquam possent. Silentio noctis prodibant parumper, regionemque tacite explorabant. Victus ex Kilbridio oppido, misso illuc per intervalla temporum phaselo, petebatur; sed is erat plerumque victus, qui nauseam moveret magis, quam famem depelleret. Nam panem iis in locis, non

ex frumento, sed ex hordeo conficiunt, & minimo calore excoquunt; inde massa quædam relinquitur cruda, olida, & ingrati saporis, quam nemo paulo liberalius educatus velit.

Accidit post dies octo, ut Kilbridium excurreret Onelius, tum ut cognosceret de itineribus hostium, tum ut provideret vini stillatitii copiam, quo humore Odoardus unice reficiebatur. Vix eo pedem intulerat, cum supervenit militum agmen frequens, ac truculentum, sub Scotto Duce, Odoardum Stuardium, ejusque socios quosdam & amicos quæritans. Nihil factum est propius, quam ut Onelius caperetur. Ægre dilapsus, revolat ad Principem, quid acciderit narrat. Ille tantam hostis propinquitatem pro merito reformidans, simul reputans, non casu eum, non temere, sed aliquo certo indicio venisse tam prope, alio festinandum censebat; sed quo, qua ratione, penitus nesciebat. Interim, ne nihil ageret ubi impendere videbantur extrema, in montem proximum fertur. Properanti objicitur homo ignotus, inops, & quantnm conjici ex vultu poterat, minime malus. Is, illato de rebus publicis sermone, referebat, advenisse nuper Cambellium cum duabus centuriis militum in Bernatenses, scrutari domos angulosqúe omnes; quærere autem de Stuardio Principe, quem constaret cum suorum paucis in hæc profugisse loca, atque alicubi abditum inveniri. Eo nuncio defecit Odoar-

dum constantia. Bernatum pari ferme intervallo distabat, atque Kilbridium. Alterum à dextra, a læva alterum erat, utrumque proximum, ac ferme in oculis. Utrobique hostes, hostiumque duces immanissimi. Jam ergo paratis se tendiculis irretitum sentiens, deliberare cœpit de mittendo ad Cambellium Onelio, deditioneque ultro facienda, quæ si esset voluntaria, æquas conditiones non desperabat. Seducit parumper sodales, iis quid sui consilii sit aperit. Quando nulla relinquatur evadendi spes, adeunda potius vincula, quam expectanda, dicit. Quæcumque eventura sint inter hostes, ea fore sibi tolerabiliora quam sic perire, ac lente extabescere. Omnem esse mortem acerbam, at mera rerum penuria ærumnisque confici, miserrimum. Ita loquentem sodales audiebant taciti, mærentesque; quid enim inficiarentur? Tamen Sullivanus, cujus præcipue consiliis Odoardus regebatur, male se desperantem erigere, atque ad constantiam confirmare. Non improbari sibi consilium, sed plus nimio præceps, sed nondum satis maturum videri, dicere. Spem adhuc esse. Fidendum Superum providentiæ, rem, quam in ultimum reservari tempus oporteret, extrahendam. Quibus dictis Odoardus utcunque acquiescens, vagari per avia locorum instituit, si quam forte salutis viam sors ex insperato aperiret.

Dum ita agit se in incertum, dum ad omnes trepidat motus, & quoscumque videt,

veluti certos hostes, aut hostium exploratores cavet; casu factum est ut præteriret haud longe mulier equo vecta, uno tantum comitante servulo. Sexus, ætas, forma ipsa mulieris metum eximebat. Propior itaque fit Onelius, dataque & accepta urbanum in morem salute, sodales duos, qui longius constiterant, digito monstrans: O quæcumque es, inquit, quam certe generosam, ac piam aspectus probat, miserere trium nobilium advenarum, quos partes Stuardianas hoc infelici bello secutos dirum in modum exagitat adversa fortuna. Ades, o bona, & opem, si quam potes, poscentibus præbe. Circumstant enim sævi hostes, premuntque nos undique. Certa pernicies est, nisi viam expedias ipsa aliquam, qua elabi possimus in tutum. Ad ea mulier, se quidem, inquit, ac familiam suam Stuardorum totam esse, neque se recusaturam, si liceret, opem ferre iis, qui Odoardo Principum optimo meruissent. Verumtamen, adjecit, qua hinc effugere possitis, plane non video, quippe omni circum aditu regiis militibus præsepto. Hæc dicente femina, & pronam cæteroqui voluntatem verbis humanissimis testante, Odoardus agnoscere sibi visus est vocem ipsam ac speciem Macdoneliæ, viduæ locupletis, & clari in Sudvisto nominis, quam sæpe antea in meliore fortuna ad se venientem excepisset Innernii. Accedit, contuetur propius. Ipsa erat. Talem sibi feminam divino oblatam con-

silio putans, salutat illam humaniter, eique se agnoscendum præbet. Macdonelia, partim subito gaudio, partim miseratione iniquæ sortis, quod Principem nuper florentissimum cerneret in lacero amictu, profugum, egenum, macie ac squalore obsitum, hæsit initio attonita, & vix compos sui. Post equo delapsa, exosculari ejus dextram gestiebat; quod ille tamen, quod erant manus scabie maculosæ, non est passus. Ut factum officiis satis, mulier servandi Principis desiderio incensa, viam indicat secretiorem, quam unam nondum, quod ipsa sciret, Regii occupassent milites. Per eam si elaberetur viam, atque inde Curradam quod erat factu facillimum, deveniret, spondet effecturam se, ut deinceps lateret securius, atque omnem perquirentium sagacitatem falleret. Locum ipsum condicit prope Curradam, certis signis agnoscendum, ubi se invicem convenirent. Atque his ita compositis, illa itinere pergit suo, hi monstratam viam ingrediuntur.

Curradam, uti constitutum fuerat, Odoardus attigit; at, si vera narrant, debuit id hostium benignitati magis, quam suæ virtuti. Sive enim errore viæ, seu quod vere omnis erat exitus interclusus, ajunt inventum ab infesto Cambellianorum manipulo, cognitum, ac suo nomine compellatum fuisse; neminem tamen ausum ei manus injicere. Quod qui tradunt, addunt, ipsos ærumnoso Principi milites benigne fecisse, nescio quid Cer-

visiæ ad sedandam sitim tradidisse, ac viam tutam qua evaderet demonstravisse. Tanta vis humanitatis in iis, quorum nativam bonitatem vitia cupiditatesque aulicæ non corruperunt! Id ego ut silere non debui, ita non ausim tradere pro comperto. Sed utcumque fuerit, cui pepercerant hostes, eum nihilominus fames atque inopia perimebat. Macdonelia in condicto loco nulla conspiciebatur. Odoardus intra tetrum angustumque prope Curradam antrum delitescens, rebus omnibus indigebat. Cibum ab inopi Villico corrogabant Sodales, sed præter summam parcitatem, is cibi erat sapor, ut gustari non posset, nisi repugnanti stomaco, ac nauseante. Quare, cum ita dies expectasset tres, sentiens omnia sibi fieri duriora, atque in suspicionem adductus ne mulier præstare promissa non posset, ut in nulla spe rerum meliorum, iterum ad extrema consilia descendere, ac de voluntaria deditione cogitare cœpit. Faciebat omnino, nisi die tertia exeunte affuisset a Macdonelia nuncius cum litteris. Principem rogabat iis litteris mulier, ne cunctaretur transgredi in Bembiculam, utque in certo prope Rusnessium castro consisteret, monebat. Ibi affuturam se, datamque fidem, quod hactenus justis de causis nequivisset, servaturam. Odoardus, etsi litteris amantissimæ feminæ recreatus, quod tamen rogabatur transgredi in Bembiculam, id non videbat quo fieri pacto posset. Nam &

multum terrestris itineris usque ad oram extremam Insulæ conficiendum inter tela satellitum erat, ac deinde nullam habebat navigii copiam ad trajiciendum, quod interluebat, fretum. Hæc agitanti venit in mentem progredi ad vicinum littus. Aderat opportune navicularius cum expedita Cymbula, neque abnuebat eam pacto pretio cuilibet utendam permittere. Huic ergo vehendum se præbet, unaque cum suis comitibus tertio defertur in Bembiculam.

Castrum adiit recta, de quo scripserat Macdonelia, Sed neque feminam reperit, & noctem inter ejus castri rudera perincommode exegit. Nec dum plane illuxerat, cum immitis Cambellius, quasi errabundi Principis, non modo itinera, sed occultiora etiam consilia cogitationesque persentisceret, huc partem copiarum ex Sudvisto deducit, acerrimamque perquisitionem prorsus a Rusnessio oppido inchoat. Ea res vix credibile, quas in angustias Odoardum conjecerit, cum neque excedere auderet Insula, neque ubi se abderet, inveniret. Dum huc illuc exterritus cursitat, conspecto repente militum minaci globo, conjecit se intra lacunam, cujus forte marginem percurrebat, diemque integrum in putri ac limoso solo, palustres inter cannas abditus jacuit. Hinc primis egressus tenebris processit noctuabundus in partem Insulæ oppositam, ut quam posset maxime distaret ab hostibus. Verum albente

Cœlo, dum porro ire pergit in littore, properantes de repente videt magna remorum contentione lembos Anglorum armatos quatuor, quasi ipsum prorsus appeterent. Quid faceret? Consisteret in suo gradu? Certissime capiebatur. Captaret fugam? Suspicionem movebat, prædones improbos post se trahebat, qui nisi possent assequi fugientem, certe clamorem tollerent, totamque adversus eum regionem concitarent. Quod unum succurrit, abjecit se inter juncos, qui densi prominebant e limo; utque sors tulit, Angli secundum litus tendentes, inobservatum præterierunt. Post hæc summotos Rusnessio putans hostes redire statuit ad Castrum, de quo convenerat cum Macdonelia, iterum amicam feminam ac diligentius quæsiturus. Appropinquanti obviam effunditur turba fugientium, ac vociferantium, Cambellium, quem Superi omnes perderent, imminere; Castro, Macdoneliis, domesticisque eorum malum inferre. Novæ igitur quærendæ latebræ, denuo eundum retro. Odoardus, juvenis licet natura robustissimus, tot cursibus recursibusque debilitatus, longa item vigilia inediaque confectus, ægre pedibus insistebat. Par debilitas comitum, & major fortasse; quodque deterrimum, magna in communi ægritudo, nihil certi consilii, summa rerum omnium desperatio. Sullivanus, ut in re ad extremum perducta casum, tantum non aperte consentiebat, ut cum Cambellio transige-

retur, quod ne fieret solus obstitit Onelius.

Per idem tempus Macdonelia a castro, de quo dictum est, metu Cambellii secesserat haud ita longe in casam nescio quam rusticanam, in eaque clam omnibus se continebat. At de principe sollicita, fidum vernulam emittebat identidem, hærere ad viarum capita, obvios quosque observare jubebat, datis ad eum internoscendum indiciis, quo suas sedulo partes exequente, tandem Principem diu frustra quæsitum reperit, ac lætum læta suscepit. Nam cum vernula in limite silvæ cæduæ per speciem lignandi constitisset, conspicatus prætereuntem forte viatorem (Onelius erat is), quem alii duo seorsum incedentes sequebantur, quæsivit ex eo, num quid vellet? Onelius, ut erat sagaci ingenio, neque admodum tardo, esse hunc Macdoneliæ interpretem suspicatus: meam, inquit, puellam quærito in his locis: Mercedem hercle opimam referes, si indicaveris. Tum ille salse subridens: At qui ego lænonem hodie agam sine pretio, efficiamque ut tu, tuique sodales quam quæritis feminam reperiatis. Quæ locutus, ut jam retecto arcano, adesse fidenter omnes, ac sequi se jussit. Ita ad Macdoneliam perducti fuerunt, nescias ipsius, an ipsorum majori voluptate ac gaudio.

At Odoardi lætitiam nec opinatus mæror excepit. Mulier, in proposito Principis oc-

cultandi manens, eum retinere apud se constituerat in muliebri amictu, ac loco ancillæ; cujus doli facultatem præbebant ætas ejus juvenilis, genæ implumes, ac species oris elegans admodum ac venusta. Verumtamen id, quantumvis callide excogitatum, negabat cariturum suspicione, si alii præter ipsum cernerentur in eadem domo, atque adeo in eadem regione advenæ. Sullivanum proinde Oneliumque dimittendos, atque amandandos procul censebat. At contra Odoardus, ut facile assentiretur de mentiendo sexu, quod poscebatur tamen ut dimitteret amantissimos comites, id ipsis auribus respuebat. Nisi servari posset una cum his, servari diserte recusabat, suumque Macdoneliæ beneficium condonabat. Me ne, ajebat, carere post hæc tam caris capitibus? Eos ut ego deseram, qui mihi tamdiu, tam benevole, tot inter vitæ discrimina adstiterunt? Hanccine perfidiam in me posse cadere putavisti? Parte alia Onelius Sullivanusque, modo salva esset carissimi vita Principis, nihil se amplius sperare, nihil magnopere vereri, dicere. Nihil illis quidem accidere durius poterat, quam ut a suo disjungerentur Principe; ut vero incomitatum tali relinquerent loco ac tempore, instar mortis ducebant. Sed siquidem aliter servari non posset, certum erat abscedere, idque porro unum volebant, futuri deinceps miserrimi sine ipso, felices tamen ipso incolumi. Adeo privatam

ægritudinem benevolentia vincebat! Obsistente nihilominus Principe, contentionem ad extremum omnem præcidit prudenti consilio mulier, cum diceret, esse sibi in Raza Insula amicum intimæ familiaritatis, ac Stuardii nominis studiosissimum, e gente Macleonia. Illuc si Sullivanus & Onelius irent, præterquamquod a Macleonio amicissime haberentur, futurum brevi ut reviserent Principem, eique denuo se adjungerent cum proficiscendum esset in Galliam. Ægre sibi persuaderi patiebatur Odoardus, ut tales a se divelli amicos vel ad tantulum tempus sineret. Cum tamen id esse videretur e communi salute, & quam mox revisendos speraret, ultra non restitit. Ergo post mutuos amplexus, & uberes utrinque lacrimas, illi fausta omnia Principi comprecantes, abscedunt. Hic amicis jam omnibus destitutus, feminæ unius fidei sagacitatique concreditus, muliebres, quæ paratæ erant, vestes, & Elisæ nomen induit: In tantum sæviente, seu ludente potius arbitra illa rerum humanarum fortuna, ut cogeretur vilem calanticam imponere capiti, qui modo ferro succinctus & lauris onustus incedebat, multarumque palmarum Imperator in imbellem transformaretur ancillam.

His ita peractis, Macdonelia adesse scapham cum pari remigum jubet, novaque assectante ancilla, in Ricinam proficiscitur. Erat namque in ea Insula vir ejusdem cognationis, opumque maximarum, Stuardiis

occulte favens, neque Regiis suspectus, apud quem diversari constituerat, donec alicunde se daret opportunitas Principis transmittendi in Galliam. Inter eundum, mulier rerum publicarum non ignara, inducto sermone de funesto exitu belli nuper gesti, explicuit Principi multa de amicis clientibusque ejus, ac de statu lacrymabili Scotiæ, quæ fuerant ipsi hactenus incomperta. Parthensium Ducem, Drummondium ejus fratrem, Elchium, Buchananium, Scheridonium, aliosque factionis principes in Galliam feliciter evasisse. Multo tamen plures ex eodem ordine in manus hostium incidisse, Simoni Lovato, venerabili seni annorum octaginta, ad quem ipse post prælium Collodenianum divertisset, caput esse amputatum. Productum autem in ferale pegma virum fortissimum, necem incredibili constantia excepisse, Jacobo Regi acclamasse, in eaque voce cervicem carnifici præcidendam præbuisse. Pari quamprimum pœna damnatum iri Georgium Crommartii, & Guilelmum Kilmarnochii comitem, itemque Arturum Balmerinum, Ducemque Atholtii, aliosque illustres regni Dynastas, quippe jam perfidiæ compertos, & in jus ambulare coactos. Rigidi actionibus fori totam cohorrescere funestarique Scotiam. Erecta passim cerni patibula, carceres vinctorum multitudinem non capere. E populo multos quotidie ad supplicium rapi, multos spoliari bonis, & cum liberis conjugibusque amandari procul in Colo-

nias usque Americanas. Quicumque demum præteritæ consensisse conjurationi putarentur, aut hujus affines noxæ essent, indigne admodum crudeliterque vexari. Narrationem prolixam crebris singultibus interpellabat Odoardus, tamque horrendam tot fortissimorum, atque innocentium hominum carnificinam imputans sibi a lacrymis non temperabat. Subiit percunctari de Murrajo, quo pridem uti consuesset ab Epistolis. Hunc vero audiit, vitam libertatemque insigni flagitio redemisse, multis detectis arcanis, neque paucis nominatim indicatis conjurationis fautoribus, in quos suspicio non caderet. Quæ hominis perfidia dici vix potest, quam ægre fecerit Principi, utque ejus dolorem incenderit.

Per hæc ventum erat in Ricinam. Odoardus habitu ac ministerio ancillæ exceptus Dynastæ rurali domo, quiete tandem aliqua fruebatur, atque ignotus omnibus, ac pene sibimet, ab præteritis angoribus tuto se reficiebat. Cæterum glabro licet vultu, nihil minus præferebat quam feminam. Non incessus, non quies, motusve decens artuum, non vestium nitor ac munditia congruebat. Male admodum Elisam simulabat, toto spirans corpore militem e Montanorum institutione ac palæstra. Unum habebat ancillæ, quod ab heræ latere nunquam recederet. Neque tamen quieto esse licuit diu. Post biduum, irrumpunt ex improviso in eam quam dixi domum regii satellites, primisque dif-

fractis foribus in intima penetralia injiciunt se. Odoardus considebat tunc forte in interiore conclavi cum Macdonelia, & alia quadam matrona. Nullus patebat fugæ egressus, latebræ in promptu erant nullæ. Et jam huc usque subierant mortalium pessimi, crepabantque minaciter fores, adesse militem denunciantes. Ad fragorem consurrexit celeriter, uti decebat ancillam, Odoardus, accurrit succinta ad latus colo, ac fores reclusit. Audacia saluti fuit. Milites speculati intus locum, cum præter tres feminas appareret nihil, pedem retulerunt. Et nihilominus reliquam scrutari domum, ejusque omnes excutere angulos perrexerunt, donec professi falso se deceptos indicio, ab incœpto destiterunt, ac sine maleficio discesserunt.

Periculum ita depulsum gratulabantur domestici. At Macdonelia cum animo suo reputans, sine humana fraude, ac delatoris indicio id factum non esse, minus jam idoneum censebat hunc occultando Principi locum. Quid enim si redirent milites, quod erat metuendum, re distinctius explorata? Quid si resciretur de mentito amictu muliebri? Ut occurreret impendenti malo, adit Macdonelium Kinsborughiensem agnatum suum, ei rem totam sub arcani fide committit. Rogat deinde per amicitiam, per communis familiæ caritatem, ne desit optimo Principi. Excipiat eum domi, deducatque mox Kinsborughium, quo loco nihil subesse periculi vide-

deretur. Sciat, haud parvam facti gratiam apud se, atque adeo apud bonos omnes fore. Macdonelius, ut erat ingenti animo, ac Stuardiis addictus, minime difficilem se præbuit. Itaque transfertur in ejus domum Odoardus, nec ita multo post una cum ipso Kinsborughium oppidum, decem inde millibus passuum, traducitur. Iter istud pedibus confectum est. Odoardus, feminea licet tunica ad talos promissa impeditus, tanta gradiebatur celeritate, ut eum Macdonelius, vir cætera robustissimus, ægre sequeretur. Jam enim vires firmitatemque pristinam receperat. Illud tamen accidit bene, ut nemo occurreret hostium. Certissime agnoscebatur, si cerneretur tantum. Adeo incommode negligenterque femineam personam sustinebat. Documento sit quod subjicio. Viam interscindebat amnis lati alvei, nec exiguæ altitudinis, nullo instratus ponte. Ut ventum ad ripam, deliberabat Macdonelius de modo trajiciendi, cum neque ponte jungeretur amnis, nec cymbula adesset, aut equus. Odoardus, nihil interfatus, in aquam injecit se suo more, transmisitque, ne detractis quidem calceis, ac ne paululum quidem elatis manu vestium laciniis; quod non irridicule factum risum simul & admirationem movit sodali.

At enim paucis interlapsis diebus, tota serpere Ricina rumor obscurus cœpit, latere intra Insulam Stuardium Principem, puellæ

indumento tectum, certis tamen agnoscendum indiciis. Rumor cum increbesceret sensim, Macdonelia Principi timens Kinsborughium excurrit, monetque eum vestes uti deponat muliebres, atque alio se recipiat. Patere vulgo dolum, tota volitare insula Regios satellites, in eo ipsum amictu cognitum captumque iri facilius. Nulla mora est. Resumit virile indumentum, conductaque momento eodem Cymbula, in Insulam Razam transgreditur. Huc eo veniebat libentius, quod apud Macleonium Razensem suos diversari arbitrabatur optatissimos comites Sullivanum, & Onelium. Namque in hunc prorsus locum, uti demonstravimus, fuerant amandati. Eos si reviseret, magnum tot inter ærumnas solatium animo præcipiebat. At fefellit illum sua spes. Exceptus quidem ipse est amicissime a Macleonio; quod tamen maxime cupiebat, Sullivanum, Oneliumque neque reperit, neque de iis rescire quidquam certi potuit; Id quod in sequiorem partem interpretatus, perinde quasi minime dubitandum videretur eorum exitium, tantam cepit animo ægritudinem, nullum ut doloris levamentum admitteret.

Et erat hoc sane loco Principis conditio, si uspiam alibi, miserabilis. Præter jacturam carissimorum capitum, qua gravissime afficiebatur, cum esset necessario recedendum ex Raza, nunc primum itineris socium habebat nullum, cujus consiliis regeretur, aspectu ipso

ac præsentia sublevaretur. Audierat esse in Ricina oppidum Kinnonium nomine, cujus Toparcha oppidi senex esset non canitie magis quam prudentia ac rerum usu spectabilis, præstanti consilio, magnis opibus, idemque Stuardorum studiosissimus. Nihil dubitans quin vir talis ferre sibi misero opem posset, ac porro vellet, ad eum ferre se statuit, velut ad tutorem unicum tristissimæ orbitatis suæ. Relicta igitur Raza, denuo solvit in Ricinam. Emensus feliciter quod interluebat freti, aberat adhuc Kinnonio millia terrestris itineris amplius triginta. Spatium istud solus ingreditur, nullo duce, nullo comite, suam dorso sarcinulam ferens. Dum regionem ignotam pervolat, ac prætereuntes subinde viatores percunctatur, ut peregrini solent, de via, forte unum quemdam offendit, a quo videbatur sibi paulo curiosius quam ipse vellet observari. Is itidem interrogatus, cum urbane admodum satisfecisset de via, vicissim quæsivit ex eo, an non ipse esset Stuardius Princeps Odoardus? Sum vero, respondit ferociter Princeps, simulque irruit in eum querno sublato stipite, quem habebat præ manibus. Sternebat haud dubie hominem, nisi ille manu retentans ictum, ac vocem tollens, præberet se agnoscendum. Macleodius erat is, vir Principi fidus in paucis, ac nuper nobilis Centurio in ipsius exercitu. Eo cognito, Odoardus suam damnare dexteram, quæ immerenti & amico malum

intentasset, erroremque excusare. Macleodius contra probare factum. Hominem suspectum, edito semel nomine, fuisse necessario mactandum, præcavendæ causa proditionis, dicere. Mirari deinde, quid ita solus incederet iis locis, quæ plena insidiarum atque hostium essent. Rogare ne se indignum duceret, qui suum assectaretur Principem, eique loco famuli deinceps esset. Odoardus, qui calamitatum gravissimam duceret carere fido sodali, hunc sibi divinitus datum oblatumque ratus accepit cum actione gratiarum quod tam benevole offerebatur officium, ac porro ire pergens una cum Macleodio, demum Kinnonium attigit, & in ædes Toparchæ subiit.

Kinnoniensis, homo longævus, sed crudæ tamen ac viridis senectæ, Odoardum ut vidit tam inopi abjectoque cultu subeuntem, ægre continuit se ne verba jactaret impia contra Superos, qui talem ita opprimi paterentur Principem. Commotus miserabili specie, procumbit ad ejus genua, lacrymasque ubertim fundens, dextram poscit exosculandam. Eum vicissim Princeps suavissime complectitur. Certatur aliquandiu, hinc humanitate, inde obsequio. Cæterum senex, statim ad negotium deducto sermone, aperte pronunciat, nullum esse tutum ab insidiis locum in Ricina. Ne putaret, periculum non imminere in ea domo, quæ maximam apud Regios ministros suspicionem haberet. Cogitaret magis in Loquabriam, ubi plus amicorum inveniretur,

minus hostium. De itinere ne laboraret. Curæ sibi fore, ut illuc tuto traduceretur. Ipsum se, licet annis gravem, navigationis socium, & periculorum participem esse velle. Quæ non magnifice magis quam vere elocutus, eodem die parari navem idoneam jubet nullaque mora ad profectionem accingit. Macleodius, qui sciret ex ea parte, quæ duceret in continentem, frequentissimos vagari hostes, valde angebatur de exitu istius itineris, ac multa secum tacitus volutabat. Ad extremum, quod nemini venisset in mentem opinari, veniam discedendi petit. Rogatus effari quo tenderet? Ad hostes, inquit, ad vincula voluntaria. Quod explicans uberius, sui consilii esse dicit, incurrere ultro in Regios milites, ac præbere se vinciendum: Tum falsis indiciis abducere eos procul in adversam partem, ac longe summovere. Consilio summe benevolo, sed æque audaci ac periculoso, vehementer adversabatur Odoardus; sed frustra fuit. Macleodius, tametsi non nesciret capitale fore sibi ejusmodi adornasse fraudem, haud secus quam promiserat, fecit. Captus, interrogatus de Stuardio, visum a se dixit in Riciniæ latere extremo, cum esset ad Orcades navigaturus. Diditur hæc momento fama inter milites, moventur suis locis stationes, in Borealem Scotiæ Oceanum properant naves. Odoardus interea vacuum nactus mare, ac littus incustoditum, una cum fideli Kinnoniensi trajecit in continentem,

exscenditque in Vallem Morrariensem, exceptus iterum eo littore, unde ante bimensem excesserat.

Duos præterea menses Princeps infelix hærere coactus est inter Scotiæ latebras, nusquam stabili sede, spe semper incerta. Tamen, ut dicam quod est, fortuna uti cepit hoc tempore paulo mitiori. Regii enim per continentem milites, seu tædio diuturni laboris, atque irriti, seu desperatione reperiundi, quem hactenus non reperissent, eum deinceps paulo indiligentius perquisierunt. Profuit nonnihil quod multi mortuum arbitrarentur, vel fame ærumnisque consumptum scilicet, vel occulta suorum proditione sublatum; quæ cum opinio rumore quodam incerto invaluisset, peracris illa vestigandi cura relanguit sensim, atque consenuit. Primos dies septem pacate fuit Odoardus inter amicos Morrarienses. Die septimo exeunte, afferuntur ei per cursorem litteræ a Macdonelio Locgariensi, quibus litteris monebatur, ne dubitaret venire ocyus in Loquabriam. Esse namque in armis Macdonelios invictos plus centum, qui non recusarent tueri vel interposito sanguine ejus vitam. Læto Odoardus nuncio recreatus, colligit se, ac transire in amicam regionem parat. Hostes ut falleret, quorum plura fuerant per montes contubernia disposita, simulat longævum e genere Montanorum senem, ficto capillo, indumento, gressu senili; atque hoc habitu juga

Morrarii transgressus editissima, sospes ingreditur in Loquabriam.

Aderat, de qua fuerat scriptum, manus armatorum sub Locgariensi Duce fortissimo. Princeps fido agmini se adjungit. Tum ex eo numero alios præire, alios sequi jubens, multos circa se nunquam non habens, circuire provinciam, atque alia ex aliis adire loca instituit. Nam ad eludendam sagacitatem hostium, mutandam censebat perpetuo sedem, nullibi longius biduo consistendum. Eveniebat identidem, ut inter Principis antecursores, & dispersos regiorum manipulos consererentur manus, ac justis pene præliis certaretur; quod sine magno periculo non fiebat, propterea quod renascentis seditionis speciem haberet. Id reputans Odoardus, & deteriora, si ita pergeret, præcipiens animo, agmen ut divideretur censuit. Profuit enim vero consilium. Admonitus quippe Cumbriæ Dux, qui adhuc consistebat Innernii, de turbis, quæ movebantur in Loquabria, ad eas præcidendas advolavit cum ingenti equitum peditumque agmine. Sed quietam nactus regionem, discessit innoxius. Exinde asseclæ Odoardi bini, ternive incedere, ac separatim habitare perrexerunt, summa tamen inter se consensione, quam mittendis ultro citroque nunciis fovebant. In cavernis montium, in intimis saltuum recessibus hospitium sumebant plerumque, in iisque latebant interdiu. Nocte concubia prodibant e

latibulis, & quo iter direxerant gradum promovebant. Certi erant designati provisores, qui ad vicinia oppida excurrentes, cibaria coemebant, & ad cæteros clanculum supportabant.

Tota in hunc modum peragrata Loquabria, itum est in Badenacham, per eamque similis concursatio instituta. Ventum iterum in Loquabriam, quæ demum provincia, ut Odoardum prima exceperat venientem, ita discedentem vidit extrema, ejusque servati gloriam præcipuam tulit. Visum id multis notabile, quod ad eam maxime provinciam Stuardiæ familiæ primordia referantur. Laborem itinerum, hospitiorum inopiam, aliasque irrequietæ vitæ molestias, ex parte sublevabat tot amicorum fides egregia, cum tanta animorum consensione conjuncta. Magna præsertim voluptate Princeps errabundus perfusus est, cum ex amicis clientibusque suis pristinis quosdam revisit, quos putabat extinctos. Affuit præ cæteris Lochielius, de quo sub initium hujus libri est facta mentio. Affuit Lochiellii frater Cameronius, tum Macdonelius Brisdaliensis, Macfersonius Cluniensis, aliique plures, viri omnes excellenti virtute, quos prælio Collodeniano dissipatos ad hoc usque tempus tutæ protexerant latebræ. Eos Odoardns salvos, sibique etiam nunc fidos lætissimus vidit. Felix, si suum quoque videre Sullivanum, quod maxime cupiebat, posset. At de eo, ut multum quæ-

reret, nihil certi reperiebat. Alii captum ab hostibus, alii transgressum in Galliam affirmabant. Re ipsa in Galliam erat transgressus, & cum maxime Odoardus ejus causa angebatur, ipse Odoardi salutem acriter maturabat, neque vano, ut mox referemus, conatu. De Onelio, qui prima post Sullivanum cura erat, plus jam nimio constabat fuisse ab hostibus comprehensum.

Vitam adeo calamitosam ac miseram Odoardus produxit ad diem usque Septembris mensis undevigesimum, qui dies finem tot laboribus periculisque attulit. Hunc interea affuturum aliquando diem præsentiebat, prænunciabatque ipse, solitus lætæ diei certissima expectatione solari comites, eorum mærorem levare, patientiam sustentare. Nempe multis ac certis experimentis edoctus esse se in tutela providentiæ cœlestis, futurum omnino confirmabat, ut quem Superi toties ab interitu præsentissimo vindicassent, eum denique in tuto collocarent. Quod ejus judicium, religionis pietatisque plenum, adeo affirmavit eventus, ut si paulo diligentius singula, quæ hactenus exposuimus, attendantur, in omni rerum serie divini Numinis vis evidenter appareat. Vel illud quantum est, quod cum tam multi excubarent exploratores, tam multi vagarentur ejus conquirendi causa satellites, omnium tamen sagacitatem tamdiu eluserit? Nunquam ne eum tot in locis, quæ adiit, tam longo tempo-

ris spatio intercipi potuisse? Nam fuerit ne interceptus semel, ac postea dimissus, sunt qui tradiderunt, sunt qui abnuunt; mihi vero perinde mirum est, seu nunquam inventus, seu dimissus ultro fuerit, nec scio an non etiam hoc alterum majorem habeat admirationem. Adde quod cum tradentibus amplissima erat merces proposita; ipse autem cogebatur sæpe hominum ignotorum fidei se committere, nec ferme delitescebat sic, ut latebrarum conscius nemo esset. Nullum ne tamen inventum, qui præmii magnitudine inescatus eum proderet? Cui non prope miraculo videatur id, si præsertim reputet, ex eorum numero, qui tantam mercedem fidei honestatique posthabuerunt, fuisse naviculàrios, piscatores, famulos, aliosque infimæ sortis homines, nihil non venale habere solitos? Quis non etiam muliebris sexus in eo tuendo fidem, neque solum fidem, sed audaciam, sed fortitudinem plusquam femineam admiretur? Verum hæc leviora.

Eam sustinuit ærumnarum molem juvenis cætera delicatus, ac talium prorsus insuetus, qua robustissimum quemque frangi necesse erat. Mirabatur deinde ipse, in tanta difficultate vivendl constare sibi tandiu vitam ac valetudinem potuisse, idque unice ad cœlestis vim opis numinisque referebat. Biduum sæpe triduumque exegit in angusto cavo, non tam abditus, quam sepultus, arido dumtaxat ac mucido pane famem de-

pellens, sitim aqua putri, ac limosa restinguens. Interdum meris herbarnm radicibus temere collectis victitavit. Sub dio sæpissime pernoctabat, in solo humido ac lacunoso cubabat, nymbos, ventos, noxios vapores, omnem Cœli inclementiam excipiebat. Nulla plerumque supellex. Vestes detritæ, olidæ, imbri interdum madidæ, ferendæ tamen, quia solæ. Quo in genere non tegam silentio rem sane miserabilem, quam mihi auctores idonei tradiderunt. Lutetiæ cum esset, casu nescio quo factum est, ut nudaret tibias, præsente atque inspectante Duce Eboracensium fratre. Is pedes surasque ejus conspicatus horrentibus vibicum notis lividas, quæsivit ex eo, quid isthuc mali esset? Cui ille blande subridens: Scito, inquit, frater, unum mihi perdiu fuisse par caligarum. Has si demeres, ad pedes defendendos supererat nihil. Parce itaque utebar iis, nec nisi noctu. Per diem, ut salebris dumisque aspera essent itinera, nudis incedebam pedibus, ne caligæ deperirent. Hæc ipse: quæ ut uberes tunc lacrymas fratri amantissimo elicuerunt, ita a nobis commemorari sine commiserationis sensu non possunt.

Tot tantisque corporis molestiis accedebant eodem tempore angores animi multo molestiores, quibus non succubuisse Principem infelicem vix credibile sit. A die Aprilis mensis vigesimo septimo ad decimum us-

que nonum Septembris, vitam agitavit in assidua ac vehementi trepidatione, quippe positus inter præsentissima vitæ pericula, & quotidianas mortes. Quæri se ad necem certo sciebat, trahi in longum miserrimam conditionem suam, aliasque ex aliis subnasci ærumnas sentiebat, ærumnarum qualis futurus esset exitus præsagire non poterat, nisi quod nullam patere viam salutis videbat. Ubique insidiæ, aut insidiarum suspicio occurrebat. Quoscumque viderat, insidiatores fraudulentos putabat, perinde amicos atque hostes refugiebat. Habebat interdum in oculis acerrimos perquisitores suos. Fuit cum proxime transeuntes respectavit e cespite, opacas inter frondes abditus, exsanguis metu, ac totis artubus contremiscens. Præter ejusmodi metum, qui quidem nullam neque noctu, neque interdiu quietis partem misero relinquebat, angebatur etiam vehementer tot clientum, & amicorum horrenda clade, quos indigne vexatos, fortunis eversos, supplicio affectos audiebat sua causa. Eorum ipse domos vidit alicubi solo æquatas, villas, & oppida diruta, quod publicæ vindictæ signum relinqui solet ad memoriam flagitii, ac terrorem posteritatis. Ad cumulandam ægritudinem recursabat subinde menti Jacobi Patris, Ducisque Eboracensium fratris mæror, anxietasque tristissima. Eos gravissime vulneratos interpretabatur, lenire tamen eorum acerbitatem nunciis aut litteris non licebat.

Quem adeo ferreum non prosterneret tam vehemens, tam diuturnus dolor? Quem tanta desperatio non opprimeret, conficeretque? Odoardus, animo corpus, spe ac virtute animum sustentans, ad omnem fortunæ adversitatem occalluit sic, ut toto eo spatio temporis (si tantum excipias molestam quidem, sed innocuam scabiem, quam etiam brevi depulit) valuerit quam qui optime, prorsus ac si constaret ex ære. Emersit denique ex tot malis; sed, ut agnosceretur ductus providentiæ supernæ, tunc maxime emersit, cum desperationi propiora videbantur omnia; Et super hæc, salutem debuit gravissimæ, ut ipse rebatur, calamitati. Quod quemadmodum acciderit, postremo hoc loco est referendum.

Jamdiu Odoardus deesse sibi Sullivanum dolebat, nihilque omnium ferebat acerbius, quam talis desiderium viri, quo vitæ duce, consiliorumque suorum moderatore uti consueverat. Eum, uti supra demonstravimus, dimiserat invitissimus, ejusdem absentiam in loco infortunii longe maximi habebat. Sullivanus interea, oblata navigii facultate, in Belgium primo, inde in Galliam erat transgressus, & ad aulam Versaliensem venerat. Ibi cum esset, impetrata Regis alloquendi copia, Odoardi miserrimam conditionem explicuit Ludovico Regi, eumque ut Principi amico ac periclitanti opem ferret, rogavit. Multis perorandum non fuit. Rex, jam ante

de Odoardo sollicitus, audito Sullivano, exarsit ejus servandi studio. Binas parari e vestigio bellicas naves jubet, quæ in Scotiam vela facerent, Stuardii Principis conquirendi, exportandique causa. Res quo facilius perficeretur, navibus ut imponantur Scoti plures imperat, quippe regionis ac linguæ gnari. Totam expeditionis curam committit Wareno Tribuno, viro impigro strenuoque. Ei, ut negotium quam diligentissime administret, mandat. His acceptis mandatis, circa dimidium sextilis mensis ex portu Macloviensi solvit Warenus cum duabus optime instructis navibus, totamque lato circuitu Angliam, Hiberniamque præterlapsus, ac per Ebudas Insulas in Velaum, qui sinus vulgo Lochbrunus dicitur, ingressus, duodecim quos habebat apud se Scotos in occiduam Scotiæ oram exposuit. Dum naves hærent in anchoris, illi per regionem distributi Odoardum locis omnibus quærere, cubilia ejus omnia perscrutari cœperunt, sed perdiu nullo effectu. Qua enim arte invenirent eum, qui quærentes refugiebat, omniumque mortalium vultus peræque suspectos habebat? Tamen post dies irriti laboris sexdecim, secuti indicia nescio quæ, progressique in montem maxime mediterraneum provinciæ Loquabriensis, ibi latitantem detexerunt, eique se, & adventus sui causam aperuerunt. Supervacaneum puto sit exequi, qui motus animorum in eo rerum articulo utrinque sint

facti. Odoardus propitio Numini gratias agere, amicorum, ac Sullivani in primis fidem erga se praeclaram magnopere collaudare. Scoti, suum cum viderent Principem in amictu sordido, dira macie retorridum, vivum ac salvum tamen, nutare inter maerorem & gaudium, nec vocem mittere nisi fractam, & lacrymis impeditam.

Relinquebatur, ut inventus Superum beneficio Princeps tuto deduceretur ad naves, quae aberant inde millia passuum circiter nonaginta. Neque vero minimam ea res difficultatem habebat. Praeter itineris longitudinem, crebrae intercurrebant militum stationes, quibus ne quid soboleret cavendum maxime erat. Scoti, ut fallerent Regios excubitores, comparatis femineis indumentis, puellae ritu amiciunt, comuntque Principem. Tum medium accipientes, per semitas nullis hominum tritas vestigiis iter carpunt, hac etiam adhibita cautione, ut silentio dumtaxat noctis progrederentur per diem delitescerent, praemitterentque semper e suo comitatu aliquem, qui viam exploraret. Ita incedentes, triduo in Vallem Morrariensem devenerunt, neque solum insidias regiorum militum eluserunt; verum etiam ex iis tres vim facere ausos interceperunt, & ad navigia vinctos adduxerunt. Hos deinde Princeps, cum discederet, dimitti jussit, notabili moderationis exemplo erga hostes. At exemplum multo luculentius benevolentiae erga amicos praebuit.

Cognito adventu navium, singulos admoneri jusserat sectatores suos, ut, si salvi esse vellent, sequerentur se. Futurum nempe, ut iisdem ipsi quoque navibus exciperentur, atque in Galliam deferrentur. Eo nuncio commoverunt se statim omnes; sed, ut longe dissitis vagabantur locis, pauci adesse ad præstitutam diem potuerunt. Urgebat interea discedendi necessitas; plena periculi erat mora. Venti, qui tunc favebant, mutari momento poterant. Facile item poterant hostes subodorari fugam, suspicionem faciente ipso tot hominum motu, & insolentia concursuum. Et nihilominus Princeps; palam professus non prius conscensurum se in navim, quam cæteri ad unum omnes conscendissent, eorum opperiri adventum statuit, ac re ipsa plures expectavit dies circa Arisaghium, iisdem obnoxius incommodis periculisque, quibus eripi tandiu, tam flagranter cupiverat. Atque ubi demum cuncti affuerunt, iis ante se in naves immissis, postremo loco conscendit ipse, non tam sua, ut videbatur, salute lætus, quam amicorum. Censebantur hi porro ad centum triginta duos, partim e populo, partim e flore Scoticæ, Hibernicæque nobilitatis, funesti belli reliquiæ infelices, quas secum Princeps infelicissimus avehebat.

Jam ergo, omnibus comparatis rebus, laxantur vela, spirantibusque a puppi ventis, proræ in meridiem diriguntur. Navi Odoardum

dum vehenti nomen Felici. Milites in ea Galli tercentum numero, tormenta curulia triginta. Paulo minor militum ac tormentorum numerus in altera. Navibus sensim recedentibus, stetisse dicitur Odoardus oculis in ingratam patriam perpetuo defixis, nullam tamen vocem neque dolentis, neque indignantis indicem misisse. Quid animo volutaret, incertum. Plures navigatio dies tenuit, secundo semper vento, nullo hostium occursu. Et jam Warenus navium Præfectus, circumflexo in orientem cursu, parabat Brestam appellere, qui primus Galliæ portus venientibus ab Australi latere Angliæ occurrebat. Sed ubi propior est factus, conspecta Anglorum Classe, quæ Bresteusis portus ipsa prope ostia obsidebat, processit in Boream, devenitque Roscovium, oppidum Osismiorum in Armorica, atque eo tandem loco magnum Vectorem suum exposuit incolumem III Kalendas Octobres. Odoardus, gratiis Numini Superisque primum, deinde amicis comitibusque ex animo persolutis, Lutetiam continuo proficiscitur.

Urbem reperit suo plenam nomine, rerumque abs se gestarum fama occupata usque adeo, ut quocumque incederet, ejus visendi studio fora complerentur, & viæ. Heros passim audiebat, atque Heros vere Romanus, qui sciret fortia non solum agere, sed etiam pati. Ut humanissima sunt Parisinorum ingenia, quoddam quasi certamen am-

plissimæ Civitatis in eo colendo, ornandoque cerneres. Et erant e populo, qui palam dicerent, multum huic debere Galliam, qui tractis in se unum omnibus Angliæ viribus, potiundi Belgii opportunitatem Gallicis exercitibus præbuisset. Personam Regii Principis egregie sustinebat ipse, cum morum elegantia ac dignitate, tum etiam lauto cultu ac splendido, cui ad magnificentiam nihil deerat. Nam quo reficeret supellectilem bello amissam, octoginta millia librarum Gallicarum numerato acceperat in ipso aditu Urbis. Ex omnibus tamen rebus illa accidit ei jucundissima, quod videre iterum licuit Ducem Eboracensem fratrem, qui cum hactenus constitisset in Armoricæ ora maritima, nunc de reditu fratris certior factus, Lutetiam properaverat. Quis jam fratrum optimorum mutuam in primo illo occursu voluptatem, quis amplexus, quis prosilientes utrinque lacrymas explicet satis? Post longum acerbissimumque desiderium rursum se loco conjunctos cernebant, qui voluntate conjunctissimi semper fuerant, idque Superum beneficio consecuti, quod summe optaverant, quod prope jam desperaverant, oculis vix credebant. Priorem quidem certe anxietatem, aut non meminerunt, aut erat mentio ipsa jucundissima.

Cum ita dies aliquot Odoardus posuisset Parisiis, hinc Fontem Bellaqueum petiit, locum Cœli salubritate, ac Regum deliciis ce-

lebrem, ubi per eos dies Rex cum tota aula considebat. Præcesserat venientem fama, incredibilisque expectatio. Itaque haud facile dictu sit, quam cupide, quam amanter, quanta gratulatione ac lætitia fuerit exceptus a Rege & ab Regia familia universa. Nullum est honoris genus Regiis Principibns debitum, quo non illum Ludovicus Rex honestaverit. Hospitio exceptum in Regiis ædibus, lautiisque munifice donatum, Walliæ Principem publice appellari, a proceribus Aulæ, a Legatis Regum officii causa frequentari jussit. Regem salutatum ibat ipse diebus singulis, semper amicissime admittebatur, & colloquiis familiarissimis detinebatur. Regina, seu feminea bonitate, seu recordatione Clementinæ ejus matris, cum qua communem haberet patriam, hunc veluti filium alterum contuebatur, amabatque. Quoties vero de præteritis casibus narrantem audiret, quem sæpe sermonem inferebat ipsa, lacrymas ubertim fundebat. Ut paucis omnia complectar, Odoardus, tametsi fructu expeditionis suæ fraudatus, & ingenti spe dejectus, placide fruebatur præsenti fortuna, præteritæ memoriam sensim deponebat, fretusque Ludovici Regis amicitia meliorem sperabat in posterum.

Verum, ut cuncta humana sunt varia, & omnium maxime favor Principum, brevem malaciam excepit improvisa tempestas, quæ Principem æque bello ac pace infelicem no-

vis objecit fluctibus, ac portu, ubi tuto quiescebat, extrusit. Sancitur pax inter Reges longo jam bello fessos, ac mutuis cladibus attritos. Instante autem Georgio Rege Angliæ, ne Stuardiis usquam locus esset in Gallia, idque primum inter conditiones fœderis exigente, Ludovicus Rex litare publicæ tranquillitati cogitur Principis amici, & immerentis exilio. Quo fortasse exemplo fraternæ fortunæ edoctus Eboracensium Dux Henricus quam nihil in humanis rebus stabile tutumque sit, Deo tantum merere deinceps statuit in castris Ecclesiæ; nunc vero adscitus in Cardinalium Collegium, & Sacerdotio initiatus, vernante licet juventa, nullam magnopere pensi ~~habet rem præter~~ Religionis officia, & congruentes instituto suo curas.

Pag.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
10	23	figerentur	fingerentur
20	9	Manchenii	Menchenii
29	16	Stains Sergardus	Stayus, Sergardus
30	6	Hujus ille	Hujus ille laudes
36	9	cantum	cautum
44	8	f.vebat	fovebat
66	23	primusque	primosque
99	16	dentior	densior
100	11	petitioribus	petitoribus
112	22	incalescebent	incalescebant
151	25	Sradnerianos	Graduerianos
171	25	peditu	peditum
188	24	quorum	quorsum
193	ult.	acite	tacite
205	1	Ars	Arx
241	1	noctem	notem

Quædam alia levioris momenti errata per se ipse corriget eruditus Lector.